1. Fl

RUDIMENTA
HISTORICA,

SIVE

Brevis, facilisque

METHODUS

Juventutem Orthodoxam

notitiâ Hiſtoricâ

imbuendi,

Pro Gymnaſiis SOCIETATIS JESU

Auctore

Ejuſdem Societatis Sacerdote.

OPUSCULUM SEXTUM.

Epitomen Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ

complectens.

LEOPOLI

Typîs Collegii Societatis JESU

Annô Domini 1746.

PRÆFATIO.

PRæsens hoc Opusculum nonnisi Epitomen quondam Historiæ Ecclesiasticæ continet, unde juventus Catholica dirigatur, animeturque ad pleniorem Historiæ hujus notitiam suopte ingenio atque industria ex idoneis subinde auctoribus hauriendam. Nemo proin vitio nobis verterit, si non pauca memoratu digna strictim duntaxat attigerimus, aut omnino prætermiserimus. Cùm enim & hoc, & priora opuscula omnia nonnisi juventutis nostræ scholasticæ usui sint destinata, hanc, utpote aliis insuper occupationibus scholasticis distentam, nimia rerum mole gravandam haud esse censuimus. Sufficere nihilominus hæc videntur cùm ad singularem Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ amorem & existimationem teneris adolescentium animis instillandam, tùm ad eosdem in Religione orthodoxa corroborandos. DEUS Opt. Max opellam hanc ad suum, suæque Ecclesiæ honorem feliciter evenire jubeat; Lector verò benevolus hunc litterariæ juventutis commodo impensum laborem æqui bonique consulat.

Partitio Opuſculi.

Complectitur hoc ſeptendecim, quæ præteriêre, & duodeviceſimum quod nunc vivimus ſeculum. In quovis horum ſummatim perceuſebimus.

1. Succeſſionem continuam Summorum Pontificum.
2. Eorundem vivendi regendiq; rationem.
3. Eccleſiæ ſtatum quovis ſeculo.
4. Ejuſdem incrementa.
5. Hæreſes potiores.
6. Concilia.
7. Sacros quoſdam ritus inductos vel antiquatos.
8. Ordines Religioſos recens inſtitutos.
9. Homines ſanctitate & doctrinâ celebriores.
10. Unum alterumq; miraculum.

Introductio ad Historiam Ecclesiasticam.

1 *Quid est Historia Ecclesiastica?*

Est rerum ad Ecclesiam Religionemque pertinentium notitia & commemoratio.

2. *Quotduplex hæc est Historia?*

Duplex, veteris nempe & novæ Legis De illa egimus in primo; de hac in sexto hoc opusculo agendum erit.

2. *Quid porrò est Ecclesia?*

Est omnium, Christi fidem atque doctrinam profitentium congregatio, quæ ab uno supremo Præside, Christi nempe in terris Vicario gubernatur.

4. *An non plures existunt Ecclesiæ?*

Tametsi Ecclesiam pro locorum linguarumque diversitate appellemus Latinam, Græcam, Gallicanam, Indicam, Americanam &c. hæ tamen omnes Ecclesiæ singulares nonnisi unam, Catho-

licam & Apoſtolicam conſtituunt Eccleſiam, omnes omnium locorum ac temporum orthodoxos complectentem. Unum igitur Chriſti ovile & unus Paſtor eſt; is nempe, cui Chriſtus dixit *Paſce oves meas.* Quicunque ergo Paſtori huic ſubeſſe renuunt, Chriſti oves non ſunt ac proinde nec membra Eccleſiæ Dei.

5. Quis Eccleſiam fundavit?

JESUS Chriſtus, æternus DEI Filius, ſummusque noſter Sacerdos, qui antequam in Cœlum aſcenderet, ſuum in terris Vicarium conſtituit Petrum, eique Eccleſiam ſumma plenaque poteſtate regendam commiſit.

6. Undenam igitur ſuprema Pontificum Romanorum poteſtas?

A Chriſto ipſo, qui non Petro ſolùm, ſed omnibus ejus ſucceſſoribus dixit: *Tibi dabo claves regni cælorum. Paſce agnos meos; paſce oves meas. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

7. Quæ quantaque hæc ſummi Pontificis poteſtas?

1 Remittendo, vel retinendo peccata, cœlum aperire poteſt, vel claudere, 2. Refractarios à piorum ſocietate & communione excludere, 3. Ex Eccleſiæ theſauro pœnas peccatorum temporarias remittere. 4. Ejuſdem, tanquam ſupremi Paſtoris eſt veram ſanamque doctrinam à falſa & perverſa diſcernere & dijudicare &c.

8. Num

8. *Num Pontifices Romani temporali quoque potestate & jurisdictione sunt præditi?*

Potestatem hanc invictis dudum argumentis demonstrârunt Doctores Catholici contra hæreticos, aliosque Ecclesiæ & Sacerdotii hostes, ad quorum vim iniquissimis præsertim hisce temporibus coërcendam temporali quoque potentia censumque opus esse supremo gregis Dominici Pastori nemo prudens inficias iverit. Hinc divino planè consilio factum, ut Constantinus M. Pipinus Rex ejusque filius Carolus M. Ludovicus Pius, Otho M. Henricus Sanctus, Matildis, Heroina illa incomparabilis, aliique possessiones amplissimas Ecclesiæ donârint, quas Territorium Pontificium, ubi Papa temporalem quoque dominatum tenet, nominamus.

9 *Quibus porrò titulis, nominibusque Romanus Pontifex appellari solet?*

1. Papæ nomen, quo Patrem significamus, omnibus olim Episcopis commune, soli dein Romano Episcopo, tanquam Patri Patrum & Episcopo Episcoporum, per antonomasiam fuit attributum. 2. *Beatissimus* & *Sanctissimus* idcirco nuncupatur, quia Christi vices gerit. 3 *Romanus* vocatur non eò duntaxat, quòd Romanus sit Episcopus, sed quòd urbs hæc ex DEI dispositione sit quasi centrum Religionis Catholicæ, sedesque stabilis ac propria Vicarii Christi. 4. Dicitur quoque *Pontifex Maximus*, *Caput Ecclesiæ*, *Doctor omnium Fidelium* &c. 5. S. Gregorius M. *Servus*

Servorum DEI se appellavit, cujus exemplum reliqui exinde Romani Pontifices sunt imitati

10 Quid rei ac nominis Hierarchia Ecclesiastica?

Est sacer Principatus, sive regimen Ecclesiasticum ex pluribus constans membris, ita inter se ordinatis ac dispositis, ut alia ab aliis pendeant quæ cùm uni omnia subsint capiti, Romano nempe Pontifici. regimen hoc planè Monarchicum est.

11 Quibusnam ex membris constat Hierarchia Ecclesiastica?

1. Caput est Romanus Pontifex. 2 Cardinales sunt administri & consiliarii Papæ. 3 Hos sequuntur Patriarchæ, 4. Primates. 5. Archiepiscopi. 6. Episcopi. 7. Sacardotes. Diaconi &c. Inter omnes hos Papa non tantùm principatum, sed supremam quoque potestatem solus obtinet. quam certos intra limites Episcopis, hique suis iterum terminis circumscriptam communicant Sacerdotibus.

12. Quid de Cardinalibus memorandum?

Horum officium, non item nomen, inde ab Ecclesiæ exortu inclaruit; constat enim, ipsum S. Petrum pastoralis sui muneris adjutores, quod proprium Cardinalium munus est, ascivisse Linũ, Cletum, Clementem &c S Evaristus Romæ septem Diaconos sive administros delegit, quos S. Sylvester *Cardinales* cœpit appellare. Horum numerus seculis sequentibus modò auctus, modò imminutus est, donec Sixtus V. edito diplomate haud plures septuagenis esse voluit, nempe Car-

dinales Episcopos sex, Presbyteros quinquaginta, Diaconos quatuordecim. Hi omnes unum cum Papa corpus & *Consistorium* efficiunt, ac proinde proximum dignitatis locum post illum obtinent.

13. *Quid de Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis commemorandum?*

Sacra hæc munia & dignitates inde ab Apostolorum temporibus, atque ex ipsius S. Petri institutione in Ecclesia semper extitêre, quod ad rem ipsam attinet. Patriarchæ, hoc est, *Patrum Principes* præsunt Archiepiscopis & Episcopis non unius tantùm Provinciæ sed totius regni aut etiam partis mundi. Horum alii dicuntur *Majores* nempe Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus, quibus tamen, licet olim perampla fuerit potestas, hodie in Ecclesia Catholica fere nil nisi titulus superest, postquam quatuor illas sedes Patriarchales occupâ-runt Schismatici. Alii *Minores*, uti Aquilejensis, Venetus. Indiarum, & antehac Æthiopiæ, quibus nuper Olyssiponensis accessit. Verùm hi non nisi nomine & titulo á Primatibus discrepant.

Primates sunt primi inter regni aut regionis cujusdam Archi-Episcopos & Episcopos, in quos, nisi aliàs sint exempti, etiam jurisdictionem exercent. Germaniæ Primas est Archiepiscopus Salisburgensis, qua Primatûs dignitate olim S. Norbertus Archiepiscopus Magdeburgensis ab Innocentio II. Papa, & Lothario II. Imperatore est auctus, Hispaniæ Primas est Archi-

epi-

episcopus Toletanus. Galliæ Lugdunensis, Bituricensis &c. Poloniæ Gnesnensis, Hungariæ Strigoniensis, Bohemiæ Pragensis, Belgii Mechliniensis &c.

Archiepiscopi (qui & Metropolitæ, sive *Metropolitani* à Metropoli aliarum urbium & dicecesium quasi matre dicuntur] præsunt Provinciæ cujusdam Episcopis, qui eorundem *Suffraganei* vocantur. Insigne Archiepiscoporum *Pallium* est, quod ex candida agnorum lana contextum, & 4. crucibus distinctum, torquis instar circumiens humeros, vestibus Pontificalibus superinduitur. Utitur hoc in primis Romanus Pontifex, qui illud Patriarchis, Primatibus & Archiepiscopis omnibus & quibusdam etiam Episcopis confert.

Episcopi ab *inspicio, inviso*, sic appellati. Clero & populo Christiano in sua quisque Diœcesi præsunt.

14. *Quid est Conciliũ generale sive œcumeniũ?*

Est conventus omnium, vel potiorum totius orbis Episcoporum, cui vel Papa ipse, vel ejus Legati præsident, ubi quæstiones de Religione potissimùm controversæ deciduntur. Concilium hujusmodi universam refert Ecclesiam, neque in definiendis fidei dogmatis errare unquam potest. Contrà Concilium sine Papa acephalum est, neq; de ullo potest dogmate decisionem facere.

15. *Quid est Concilium particulare?*

Quod ab Archiepiscopis & Episcopis nationis

cujus-

cujusdam sub Patriarcha, vel Primate; vel à Provinciæ alicujus Episcopis cum, & sub suo Archiepiscopo, rebus singularium quarundam Ecclesiarum ita exigentibus celebratur. Illud vocatur Concilium *Nationale*, istud *Provinciale*: neutrum tamen quod ad fidei dogmata attinet certæ & indubitatæ est auctoritatis; multò minùs Synodus Diœcesana, à Diœcesis cujusdam Clero cum & sub suo Episcopo celebrari solita.

Historia Ecclesiastica.

Seculum I.

1. *Quinam Pontifices seculo primo Christi Ecclesiam rexêre?*

1. S. Petrus ad ann. Chr. 65.
2. S. Linus 67. *Reliquos vide in Tabula Chronologica in fine Opusculi.*

2. *Quid de primis his Pontificibus quàm brevissimè dicendum?*

S. Petrus, primus Christi in terris Vicarius, sedem, quam Antiochiæ priùs fixerat, Romam exinde transtulit, ubi doctrinâ & miraculis complures ad Ecclesiam Christianam aggregavit, & Simonem magum, à Dæmone in àëra sublatum, fusis ad DEUM precibus, ex alto præcipitem egit, Neronis dein jussu cruci corpore inverso affixus. De

ejus

ejus Romam adventu, & obitûs anno, deque ordine successionis primorum pontificum variant scriptores, dum alii cum Baronio Eusebii chronicum, sæpiùs aberrans; alii contra Damasi potiùs chronicum, veteresque Romanorum Pontificum catalogos cum Papebrochio, Antonio Pagi&c sequuntur, quorum vestigiis & nos inhærebimus S Clemens, septem Urbis Regiones totidem Notariis distribuit qui Martyrum præcipuè res gestas literis consignarent. Huic quidam in Pontificũ serie præponunt Cletum, quem non pauci unum eundemque cum Anacleto esse autumant. Ex horum proinde sententia Lino gloriosa morte sublato A, 67. suffectus est Cletus, qui A. 73. cum Philosophis Urbe excedere jussus, Pontificatu se abdicavit, quem dein Clemens susceptum gessit usque ad A. 83. quando ad necem aliâ, quàm Fidei causâ inferendam, quæsitus, Pontificatum Cleto cessit, quem exinde Christiani, Anacletum, id est *Revocatum*, appllare cœperunt, Verùm in re incerta à communi opinione haud recedendum esse arbitror. S, Clemnes porrò, quod sacro virginitatis velamine S.Domitillam consecravit, iterum Urbe pulsus, tandem A.107. imperante Trajano Martyr occubuit.

3 *Quis Ecclesiæ status seculo primo?*

Pusillus etiamnum Christi grex per ipsas persecutiones, quibus tum à perfida Judæorum gente, tum ab Imperatoribus ethnicis atrocissmè exagitabatur mirificè crevit. Ingens prorsus fervor

erat Christianorum illorum, qui terrenorum cura omni abjecta, rebus duntaxat divinis operam dabant. Unde Ecclesia tot propè sanctos, quot membra numeraverat. Nero omnium primus, & post hunc Domitianus in Christianos crudelissimè sævire cœpit.

4. Qua ratione Ecclesia primò seculo propagata est?

Apostoli ad Christi Evangelium ubivis gentiū promulgandum per orbem universūm dividebantur. Horum Principes Petrus & Paulus post varias regiones Christianæ fidei dogmatis imbutas, Romam commigrârūnt. Jacobus major Hispaniam, Joannes Asiam minorem, Andreas Scythiam, & Achajam, Philippus Asiam superiorem, Thomas Parthos & Indos, Bartholomæus Indiam citeriorem & majorem Armeniam, Matthæus & Mathias Æthiopiam, Simon Mesopotamiam & Persidem, Judas Thaddæus Arabiam & Idumæam &c. lustrârunt.

5. Quæ potissimùm hæreses primo statim seculo sunt exortæ?

Agmen ducit Simon magus, qui oblatâ pecuniâ Spiritûs S. gratiam licitari est ausus. Unde Sacrorum nundinatio *Simonia dicitur.* Docebat præterea hominem carere libero arbitrio, bona opera haud esse necessaria &c.

Cerinthus & Ebion Christo divinitatem abrogabant; quorum errores ut refutaret S. Joannes A. Chr. 96. suum conscripsit Evangelium, ubi Chri-

Christi Divinitatem præcipuè vindicat. Nefanda Nicolaitarum hæresis auctor fueritne Nicolaus unus ex septem Diaconis, an alius quispiam incertum est.

6. Quæ Concilia celebrata fuêre seculo primo?

Primum Concilium celebrârunt Apostoli post Christi Ascensionem Hierosolymis, ubi Mathias cœlesti sorte electus, ac Judæ proditori surrogatus est. In altera Synodo Hierosolymitana septem Diaconi delecti & initiati fuêre, qui egenorum curam gererent, atque ad aram ministrarent. In tertio Concilio ibidem coacto Circumcisio, aliique legis Mosaicæ ritus aboliti fuêre. In hac Synodo S. Petrus tanquam Ecclesiæ Caput; Judexque supremus sententiam pronunciavit.

7. Qui ritus sacri introducti hoc seculo?

1. Antiochiæ, Christi asseclæ Christiani appellari cœpêre. 2 Dies Dominica, solemnitas Natalis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, sive *Resurrectionis* & Ascensionis Christi ac Pentecostes instituitur. 3. Quadraginta dierum & quatuor temporum jejunium ex traditione Apostolica observatur. 4. Aqua lustralis adhibetur 5. Signum crucis Christianis omnibus frequentissimo in usu est. 6. Preces Canonicæ in templis alternante choro statis choris decantantur. 7. Stationes, seu comprecationes ad Sanctorum Martyrum sepulchra frequentantur. 8. Nomina Christianorũ, præsertim Episcoporum virorumque illustrium in duplici tabella libri in morem clausa, hinc vi-

vorum,

vorum, illinc mortuorum deſcribuntur, atque ad Miſſæ *memento* recitantur. 9 Diaconiſſæ viduæ erant vitæ probatiſſimæ, annos ampliùs ſaxaginta natæ, quæ Eccleſiæ januam, per quam fæminæ ingrediebantur, & locum, ubi hæ ſeparatim à viris orabant, cuſtodiebant; perſecutionum tempore mulieres ad conſtantiam animabant, eleemoſynis juvabant, ad Baptiſmum & extremam unctionem recipiendam parabant, mortuas veſtiebant &c. 10. Agape (ab charitas) epulum erat in mutui amoris ſignum poſt ſacram ſynaxim, remque divinam peractam in Eccleſia celebrari ſolitum, divitibus æque ac pauperibus eidem menſæ accumbentibus, quæ dein convivia ob varios abuſus abrogata fuêre. 11. S. Anacletus Clericis comam alere prohibuit, ſanxitque, ut Epiſcopus à tribus Epiſcopis conſecraretur. 12. S. Evariſtus Urbem in ſeptem Parochias, quas Regiones vocabant, diſtribuit. His ſeptem præfecit Diaconos, qui Chriſtianis animæ corporisque ſubſidia ſubminiſtrarent.

8. *Quid de Religioſis ordinibus primo hoc ſeculo memorandum?*

1. Ordo Religioſus haud dubiè à Chriſto ipſo & Apoſtolis originem ducit. 2 S. Joannes Baptiſta vitæ ſolitariæ ſive Anachoreticæ Anteſignanus meritò dici poteſt. 3 S. Dionyſius Areopagita, æqualis temporum iſtorum, vitæ monaſticæ mentionem facit.

9. *Quinam*

9. Quinam Sancti primo præcipuè seculo inclaruêre

Sanctissima DEI Genitrix & Virgo Maria, Sanctorum omnium Regina, quæ annum agens 72. à virgineo suo partu 57. in cœlum translata est. S. Joannes Baptista. S. Apostoli, è quibus solus Joannes nonagenario major mortem obiit incruentam. S. Thecla prima Martyr &c.

Post Sanctos Apostolos & Evangelistas primo seculo scripsêre S. Hermas, Presbyteri & Diaconi Achajæ, qui S. Andreæ martyrium literis mandârunt. S. Clemens Papa, S. Polycarpus, S. Ignatius, S. Dionysius &c. Quibus S. Hieronymus Senecam quoque, Neronis Magistrum, Philonem item & Josephum Judæos annumerat.

10. Quænam miracula hoc seculo patrata?

Maxima & innumera, quorum aliqua in actis Apostolorum percensentur. Id verò omni miraculo mirabilius fuit, Apostolos, homines in speciem abjectos, rudes & ignobiles Religionem, naturæ corruptæ tantopere adversantem, cujus auctor Christus, latronis instar in cruce mortuus, tanquam æternus DEI Filius adorandus proponebatur, tot regnis ac provinciis persuadere potuisse, tametsi Imperatores, Reges ac Principes omnibus viribus obniterentur.

Seculum II.

1. Quinam Pontifices hoc seculo Ecclesiâ gubernârunt?

7. S. Alexander ad annum 116.

Reliquos vide in fine Opusculi.

2. Quæ

2. Qua laude hi Pontifices præfuêre Ecclesiæ

Vitæ erant inculpatæ prorsus; utque externo
ultùs divini decore & majestate pietatē cultum-
ue Christianorum interiorem foverent, varios
itus cæremoniasque instituerunt. Cæterùm tem-
oribus hisce dignitas Pontificia inde quoque
ummum adepta est splendorem, quòd gradum
ern ret ad gloriosam martyrii lauream, qua Pon-
fices hi omnes decorati fuêre.

3. Quis seculo II Ecclesiæ status erat?

Ecclesiæ ager multiplici persecutione velut ara-
ro subactus, totque Martyrum sangvine irrigatus,
iberiores identidem fructus protulit. Quin ipse
ic sangvis Martyrum semen erat Christianorum,
ui heroicis suis virtutibus, vitæ innocentiâ, mo-
umque integritate omnibus exemplo erant & ad-
nirationi. Persecutio tertia cœpta est imperante
Trajano, quarta sub Imperatoribus Marco Aurelio
& Lucio Vero.

4. Quanta hoc Seculo incrementa cæpit Ecclesia?

S. Barsimæus Episcopus Edessenus in Syria quā
plurimos ad veram fidem adduxit, In Anglia S.
Lucius Regum omnium primus Christo nomen
dedit, regnoque postmodum ac patriâ relictâ,
Christianæ Fidei lucem Rhætiæ Alpinæ, locisque
finitimis intulit, adversa plurima perpessus. In
Gallia & Sabaudia S. Irenæus Evangelium annun-
ciavit. Donaldus Scotiæ Rex à S. Victore Ponti-
fice aliquot fidei Christianæ præcones petiit & im-
petravit.

5. *Quæ Hæreſes ſecundi Seculi?*

Ampliùs triginta percenſentur, è quibus 1 Gnoſtici, etſi vitam plùs quàm belluinam duce bant, *Intelligentes* tamen ſive *Sapientes* appellar volebant. 2. Chiliaſtæ, ſive *Millenarii* ſomniaban electos omnes poſt univerſalem illum corporum ad vitam reditum cum Chriſto in terra hac mill annis regnaturos, corporisque voluptatibus fruitu ros. Eucratitæ, Tatiani diſcipuli, exectabantu matrimonium, primosque parentes Adamum & Evam ſempiternis addictos ſuppliciis affirmabant 4. Montaniſtæ ſive Cataprryges ad Montani Pa triarchæ ſui exemplum hypocriſi pleni vitæ ra tionem in ſpeciem oppidò auſteram profiteban tur. Nam præter alias auſteritates ter quotanni quadraginta dierum inediâ corpus macerabant Qua virtutis ſimulatione ipſe adeò Tertullianu in errorem ac hæreſim eſt inductus. 5. Marcioni tæ Marcionis aſſeclæ negabant corporum ad vitam reditum, ac duo rerum principia ſtatuebant, bo num unum, alterum malum. Hæreſis hæc, ut aliæ plurimæ, ope potiſſimùm atque operâ fæmi narum propagata eſt.

6. *Quæ Concilia convocata?*

1. In Conciliis, Romæ, Cæſareæ Palæſtinæ, i Gallia & alibi coactis contra *Quartadecimanos* de cretum eſt, ut ex inſtitutione Apoſtolica Paſch ſemper die Dominica, nec unquam cum Judæi celebraretur. 2. Contra Montaniſtas pluribus i Conciliis definitum eſt, relapſos poſt Baptiſmun

uti

uti & Religionis desertores ad agendam pœnitentiam admitti posse ac debere. Damnata quoque triplex Montanistarum *Quadragesima*, fucatusque illorum rigor & affectatæ austeritates.

7. *Qui ritus sacri introducti?*

1. S. Alexander decrevit, ut aqua consecrata sale admixto perpetuò in templis asservaretur, & in cubiculis adhiberetur adversus Dæmonum infectationes, aliaque corporis & animæ mala. Missæ addidit Epistolam & Evangelium, ejusdemque Canoni hæc verba: *Qui pridie quàm pateretur*, & post consecrationem: *Unde & memores &c.* usq; ad *Memento* defunctorum. 2 S. Xistus sive Sixtus vasa sacra à laicis tangi vetuit, & in Missa trisagion, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, jam antea usu receptum, decreto stabilivit. 3. S. Telesphorus solenne quadraginta dierum jejunium, ab Apostolis inductum, nova lege confirmavit, hymnumque Angelicum *Gloria in excelsis*, in Missa cantandum curavit. 4. S Hyginus Presbyterorum & Diaconorum, de quibus in actis Apostolorum fit mentio; Subdiaconorum item, Ordinumque Minorũ gradus distinctiùs secrevit. 5. S. Soter in nuptiis solemnes a Sacerdote precationes adhiberi jussit. 6. Die Domini Natali ter à singulis Sacerdotibus Missæ sacrificium iterabatur. &c.

8. *Quid de Religiosis Ordinibus dicendum?*

Apostolos ipsos vitæ Religiosæ & cœnobiticæ fundamenta jecisse, compertum habemus, quamvis quod ad certos ritus, vestimenta, habitum nem,

ſolennem Profeſſionem &c. attinet, poſt Seculum III, quando horribilis illa univerſalium perſecutionum tempeſtas ſedata eſt, Ordines Religioſi ſuam primum maturitatem ſint aſſecuti. S. Pius Papa certos præſcripſit ritus, quibus DEO ſacratæ Virgines velarentur.

9. *Quinam doctrinâ & ſanctitate Seculi II. claruêre?*

Inter ſcriptores Eccleſiaſticos eminuerunt S. Juſtinus Philoſophus & Martyr, S. Melito Epiſcopus Sardenſis, Athenagoras Philoſophus Chriſtianus, S. Theophilus Epiſcopus Antiochenus, S. Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis &c. Inter complures alios Sanctos conſpicui erant S. Simeon Epiſcopus Hieroſolymitanus, SS. Titus, Timotheus, & Oneſimus diſcipuli S. Pauli, Euſtachius cum Sociis, S. Getulius cum S. Symphoroſa conjuge & ſeptem filiis, SS. Gervaſius & Protaſius, S. Felicitas cum ſeptem filiis &c.

10. *Quæ miracula celebratiora?*

1. Recurrente annua S. Climentis memoria mare longiùs recedens Chriſtianis viam aperuit ad ejuſdem Martyris ſepulchrum, ſub undis divinitus extructum. 2. In expeditione contra Marcomannos ſuſcepta, Chriſtiani milites exercitui Romano, in maximas anguſtias compulſo, atrocique inſuper ſiti vexato pluviam per opportunam; hoſtibus verò fulmina & grandinem cœlo evocârunt: unde legio illa *Fulminatrix* dicta. Miraculi hujus vel ethuici ſcriptores meminêre.

Secun-

Seculum III.

1. *Quinam Pontifices Ecclesiæ præfuêre?*

17. S. Callistus ad ann. 222.

Reliquos vide in fine Opusculi.

2. *Quid de Sanctis hisce Pontificibus summatim dicendum?*

S. Zephyrinus, qui exeunte seculo priore Petri Cathedram conscendit, Montanistas, cumque his Tertullianum ab Ecclesiæ communione repulit. S. Stephanus inter Missarum solemnia ab Imperatoris satellitibus trucidatus est. S. Dionysius, Græcus primùm Monachus, magna dein virtutis & sapientiæ laude Pontificatum gessit. S. Marcellinum timore perterritum deorum simulacris thus adolevisse, negant hodie eruditiores; qui & Concilium Sinuessanum, & ejus acta ab hæreticis Donatistis conficta esse censent.

3. *Quis tunc Ecclesiæ status?*

Crescente persecutionum atrocitate Christianorum pariter & animus crevit & numerus. Non deerant tamen, qui ad declinanda tormenta ab ethnicis magistratibus libellos (unde *Libellatici* dicti sunt) emerent, quibus testatum fieret, ipsos idolis sacrificâsse. Quintæ persecutionis concitator fuit Imperator Severus, sextæ Maximinus, septimæ Decius, octavæ Valerianus & Gallienus, nonæ Aurelianus.

4. *Quæ Christianæ Reipublicæ incrementa?*

1. Tota fere Gallia Severi Imperatoris tempo-

ribus Christiana sacra suscepit. 2. Ipsæ adeò barbarorum in Romanum Imperium incursiones ansam iisdem præbuêre ad Religionem orthodoxam, cognita perspectaque Christianorum virtute morumque integritate, amplectendam. 3. Sub tertii seculi finem Religio Christiana per omnes orbis cogniti regiones propagata est, Romanique Imperii tunc amplissimi dimidia certè pars eidem adhærerat.

5. *Quæ hæreses & schismata exorta hoc Seculo?*

1. Origenes qui prius Ecclesiam eximio eruditionis virtutisque splendore illustraverat, ex Platonis dein libris multos hausit errores, hæresumq; variarum sparsit semina. 2. Novatiani omnia peccata æqualia esse dicebant. Damnabant secundas nuptias, & cum Montanistis negabant pœnitentiam esse sacramentum. 3. Sabelliani divinarum personarum trinitatem inficiabantur. 4. Paulus Samosatenus Christum merum esse hominem, affirmabat. 5. Manes Manichæorum Coryphæus liberum hominis negabat arbitrium, & cũ Marcionitis duplex rerum omnium statuebat principium, bonum unum, alterum malum, à quo omnes cibi, resque corporeæ essent productæ. Docebant item Manichæi, fas non esse invocare Sanctos, aut eorum Lipsana in honore habere ac veneratione. Eodem hoc Seculo Episcopi quidam Sanctitatis laude celebrati, baptismo ab hæreticis initiatos sacro iterum fonte abluendos esse

con-

contendebant. Alii Chiliastis accesserè, donec utraque hæc sententia à Sede Apostolica erroris fuit damnata.

6. *Quæ Concilia celebrata?*

A. 252. in Concilio Romæ contra Novatianum coacto, decretum est, ut, qui suppliciorum metu Idolis sacrificâssent, actâ ritè pœnitentiâ, in Fidelium numerum reciperentur. A. 257. in Concilio itidem Romæ celebrato Hæreticorum Baptismus ratus habebatur. A. 265. in Concilio Antiocheno Pauli Samosateni hæresis est damnata &c.

7. *Qui ritus sacri introducti?*

1. S. Zephyrinus S. Eucharistiæ sumptionem tempore Paschali imperat. 2. S. Callistus quatuor temporum jejunium ex Apostolica traditione celebrari solitum, confirmat. 3. S. Urbanus sacra vasa ex argento fieri mandat. 4. Christianorum sepulchra consecrantur. 5. Litaniarum usus in Orientis Ecclesia frequentatur. 6. S. Felix pios quosdam ritus in templorum dedicatione præscribit. 7. Eulogiæ sive panes sacrati ad finem Missæ in templis distribuuntur. 8. Anterus Martyrum res gestas accuratè conscribendas curat. 9. Publicæ, pluriumque annorum pœnæ hoc & superiore Seculo pœnitentibus irrogatæ. 10. Missæ sacrificio, quod breviore temporis spatio peractũ primò fuerat, à diversis dein SS. Pontificibus variæ precationes ac cæremoniæ adjectæ.

8. *Quinam Ordines Religiosi instituti?*

1. Vita Eremitica non tam inchoata, quàm illustra-

lustrata & propagata est à S. Paulo Eremita. 2. S. Cyprianus Episcopus Carthagiensis, qui de disciplina & habitu Virginum librum scripsit, Regularium Sacerdotum Congregationem instituit.

9. *Quinam seculum hoc doctrinâ & sanctitate potissimùm illustrârunt?*

Præter Tertullianum & Origenem, qui post insignes prorsus ingenii partus, Ecclesiæ bono editos, in varios tandem rapti sunt errores, scripsêre Clemens Alexandrinus; Minutius Felix, S. Cyprianus Episcopus Carthaginensis, S. Gregorius Thaumaturgus Episcopus Neocæsereensis. Inter Sanctos Martyres excelluêre Laurentius, Mauritius cum Sociis, Sebastianus, Georgius, Barbara, Cæcilia, Apollonia, Agatha &c.

10. *Quæ miracula à variis Sanctis patrata?*

1. S. Gregorius Thaumaturgus precibus suis montem, templi ædificationi obstantem, loco movit. 2. S. Cypriano Sacris operante, mulier ad mensam Eucharisticam ausa indignè accedere subita morte plectitur. S. Felix Nolanus, S. Agatha, S. Christina &c. multis miraculis claruêre.

Seculum IV.

1. *Quinam Christi Vicarii Petri Cathedram tenuêre?*

31. S. Marcellus ad ann. 310.

Reliquos vide in fine Opusculi.

2. *Qua commendatione supremo munere pastoritio sunt perfuncti?*

Omni ope atque opera connitendum iis fuit, ut

ut grassantibus tunc hæresibus obsisterent, lupos- que Christi ovile quaquaversus infestantes, arce- rent: id quod & vitæ sanctitate & doctrina Apo- stolica egregiè præstitêre. S. Liberius Athanasii defensor, Arianæque hæresis oppugnator acerri- mus, ab Imperatore Constantio ejicitur in exili- um, ubi biennio post propter atrocissima crimi- na, ab hæreticis Athanasio afficta, hujus damnati- oni & ipse tandem subscripsit, & cum Arianis quibusdam Episcopis, Catholicos sese astutè simu- lantibus, communicavit. In expulsi porrò Libe- rii locum Felix Diaconus Catholicus Arianorum operâ intruditur primùm, dein nuntiata Liberii cum Arianis communicatione & subscripta ab e- odem Athanasii damnatione à Catholicis quoque recipitur. Reposcentibus postea Romanis Liberi- us à Constantio restituitur, pulso Felice, qui A- rianis & Constanti, tametsi illorum operâ ad Pon- tificatum sit evectus fortiter se opposuit. S. Libe- rius porrò, omni cum Arianis communicatione abrupta, Religionem Catholicam, à qua numquã re ipsa desciverat, quoad vixit, strenuè propu- gnavit; S. Felix II. verò, quem alii nobiscum, quòd ab Arianis intrusus erat, è Pontificum Ca- thalogo expungunt, ab Ecclesiæ gubernaculis, quæ triennio tenuerat, dejectus, vitam deinceps pri- vatam & quietam egit, Martyribus à quibusdam annumeratus.

3. *Quis Ecclesiæ Status?*

Postquam horribilis illa tot persecutionum pro-

cella,

cella, imperante Constantino M. tandem desævit, Cæsarque hic Religiosissimus Ecclesiam ipse tutandam suscepit, hæc variis hæresibus, ex orco emergentibus, vehementer exagitata est. At enim tam parum adversùs petram illam inexpugnabilem prævalere hæ poterant, atque ethnicorum antea Imperatorum furor. Quin potiùs Ecclesiæ splendor & disciplina per solennes ritus ac cæremonias à SS. Pontificibus ad excitandam Fidelium pietatem introductas, promota plurimum fuit. Et verò vix unquam tot Episcopis sanctissimis, Doctoribusque præstantissimis abundavit Ecclesia, atque hoc seculo. Sapor Persarum Rex, scelestique Imperatores Julianus Apostata, Constantius & Valens, rei Catholicæ plurimùm incommodabant.

4. *Quæ Ecclesiæ incrementa?*

Postquam Constantinus M. A. 312. non solùm amplissimam Christianæ Religionis amplectendæ potestatem omnibus fecit, sed Christo nomen ipse dedit, Fidelium numerus mirum quantum est auctus. Longobardi cum Rege suo Agelmundo hoc seculo veræ fidei luce collustrati fuêre. Hunnos Theotimus Scytha, Iberos, Asiæ populum cum Rege Bacurio ancilla Catholica ad Christum adduxit.

5. *Quæ potissimùm hæreses Seculo IV. grassabantur?*

1. Donatistæ præter alios errores docuêre Ecclesiam ubique terrarum extinctam esse præterquam in suo cœtu, solosque justos, non item peccatores, Ecclesiæ membra esse. Sacrum chrisma con-

conspuebant, & pedibus proterebant. Donatus Hæresiarcha, Episcopus Africanus à S. Melchiade Papa aliisque Episcopis damnatus, ad Imperatorem appellabat. 2. Arius Presbyter Alexandrinus Filium Divinum Patre minorem esse, nihilque extra Sacras literas fide divina credendum esse docuit, rejectis Ecclesiæ *Traditionibus*, decretisque Concilii Nicæni Oecumenici, cujus ac proinde universæ Ecclesiæ judicio suum hæresiarcha hic præferre non dubitavit. 3. Macedonii Episcopi Constantinopolitani præcipuus error fuit, Spiritũ Sanctum non esse DEUM. 4. Eunomius tradidit, fidem solam sine operibus ad salutem sufficere, ac credenti nullum prorsus peccatum, quantumcunque enorme fuerit, à DEO imputatum iri. 5. Eustathius jejunia, ab Ecclesia præstituta, repudiabat. 6. Aerius non solùm jejunia & festa ab Ecclesia indicta, sed preces insuper & sacrificia pro defunctis abrogata volebat, nullumque Episcopos inter & Presbyteros statuebat discrimen. 7. Helvidius Virginitatis hostis infensissimus, hanc Deiparæ abjudicabat, nec majoris esse meriti ajebat, quàm conjugium. 8. Id ipsum docuit Jovinianus Monachus Romanus, qui insuper cibos omnes omnibus omni tempore permittendos esse contendebat: adhæc peccata omnia esse æqualia, gratiam in Baptismo acceptam non posse admitti, æqualem omnium in cœlo fore mercedem &c. 9. Priscillianistæ ut sordes suas ex Manichæorum: Arianorum, & Gnosticorum lacunis haustas obtegerent

gerent, hoc veluti ſymbolo utebantur:

Jura, perjura, ſecretum prodere noli.

7. *Quæ celebrata Concilia?*

A. 325. in primo Concilio Oecumenico, Nicææ Bithyniæ habito, hæreſis Ariana â trecentis decem & octo Patribus damnata, & vox *conſubſtantialis* Fidei ſymbolo inſerta eſt ad eandem omnino Filii cum Patre divino naturam & divinitatem vindicandam; dirempta quoque controverſia de Paſchate celebrando. A. 381. Conſtantinopoli Concilium Oecumenicum ſecundum indictum eſt, ubi Macedonii præcipuè hæreſis Spiritui Sancto Divinitatem abrogare auſi, à centum quinquaginta Patribus condemnata eſt, ac verba quædam Nicæno ſymbolo adjecta. Quæ omnia Occidentalis quoque Eccleſia rata habuit, niſi quòd Patriarchæ Conſtantinopolitano proximum â Papa locum Romæ concedendum haud eſſe cenſuerit uſque ad Innocentii III. tempora. Damnatæ inſuper pluribus in Conciliis *particularibus* hæreſes Donati, Priſcilliani & Joviniani. In Synodo A. 359 Arimini coacta, Fidei formulæ, ab Arianis vafrè ſimulateque concinnatæ, & in ſpeciem Catholicæ, Patres ſubſcripsêre quidem; ſed comperta dein fraude ſubſcriptionem reſciderunt. In Synodo Carthaginenſi cælibatus, ſive perpetua Clericorum continentia, quam eodem Concilio teſte docuerunt Apoſtoli & ipſa ſervavit antiquitas, novis ſanctionibus eſt confirmata.

7. *Qui*

7. *Qui ritus inducti aut abrogati?*

1. S. Silvester altaria ex lapide, *Corporalia* verò sive lintea sacra, quibus Christi corpus Missæ tempore imponitur, nonnisi ex lino confici jussit. 2. Catechumenis Missæ sacrificio ab *Introitu* ad Offertorium duntaxat interesse licebat; inde enim Diaconi voce dimittebantur. 3. Sacro epulo Christiani pluribus in locis quotidie; alicubi diebus duntaxat Dominicis reficiebantur. 4. Hoc & præcedentibus seculis Christi corpus modò sub duplici, modò sub una duntaxat specie pro temporis locique ratione sumi consueverat. Nec Eremitæ solùm, sed & alii quoque Fideles præsertim persecutionum tempore vel diuturnæ navigationis, quin & aliàs panem Eucharisticum domũ secum deportabant, urgente necessitate eundem sibi fracturi. Ipsis quoque infantibus, suscepto Baptismi & Confirmationis Sacramento, gutta sacrati sangvinis instillabatur. 5. Catechumeni Sabbatho sancto & pridie Pentecostes solennibus ceremoniis Baptismum, moxque Confirmationis & Eucharistiæ sacramenta accepêre. Quidam etiam Baptismum ad finem usque vitæ distulerant, in quem tamen abusum SS. Patres acriter sunt invecti. 6. Constituti quoque à Synodo Nicæna Dioecesibus limites. 7. Episcopi, qui in urbibus duntaxat commorabantur, concionibus populum, & catechismo pueros instituebant ipsi, bonaque Ecclesiæ administrabant, Sacerdotibꝰ & egenis pro cujusque indigentia distribuenda. 8. Chorepiscopi

ſcopi Presbyteri erant, non Epiſcopi, qui in villis & pagis commiſſas ſibi Eccleſias gubernabant. Ordinesque minores conferre poterant. His tamen quòd in Epiſcoporum ſubinde jura involabant, ſurrogati poſtmodùm ſunt *Decani rurales*. 9. Sacris initiandi ordinum interſtitia accuratè obſervabant. 10. Templa non munda ſolùm ſed pretioſa quoque ſupellectili erant inſtructa. 11. S. Damaſus Papa ad cujuslibet pſalmi finem addi juſſit: *Gloria Patri* &c. 12. S. Paulus Eremita preces lapillis, uti hodie globulis precatoriis ſolemus, dimetiebatur. 13. SS. Martyrum feſti dies iis præcipuè in locis, ubi aut affecti martyrio, aut tumulati fuere, magna quotannis ſolemnitate celebrabantur. 14. Pridie majorũ ſolennitatum Chriſtiani in æde ſacra congregati noctem totã ſacros hymnos precesque alternando pervigilabant. 15. In Oriente Chriſtiani ſingulis feriis quartis & ſextis; Romæ verò & alibi feriis ſextis & Sabbato jejunabant. 16. Sacræ peregrinationes frequenti in uſu erant, nec ſine abuſu tamen, quem S. Gregorius Nyſſenus reprehendit. 17. Anaſtaſius ſanxit, ut in Miſſæ ſacrificio ad Evangelium omnes ſtarent. 18. Quatuor hiſce ſeculis ſequentibus, graviorum criminum v.g. adulterii reis, pœnæ publicæ ſeptem, decem, imò & quindecim annos ipſos ſubeundæ erant, & quidem quadruplici in ſtatione, donec ad ſacram ſynaxim admitterentur. Prima ſtatio erat *flentium*, qui ſaccis induti admiſſa crimina deflebant in templi veſtibulo, & ingredi-

gredientium preces implorabant. Secunda erat *audientium*, qui in postremam templi partem admissi, audito Evangelio, sermoneque post illud habito, cum catechumenis discedere jubebantur. Tertia erat *prostratorum*, quibus in genua prostratis Sacerdotes varias inter precationes manus imponebant, pœnasque diversas injungebant. Quo ritu peracto ante *Offertorium* & ipsi foras mittebantur. Quarta erat *Consistentium*, quibus Missæ quidem toti interesse licebat; non item mensæ Eucharisticæ accumbere. Toto præterea hoc tẽpore pane sæpe & aqua victitare, ac jejunare, frequenti oratione crebris vigiliis, chameuniis sive *humi dormitionibus*, omniumque deliciarum abdicatione, & aliis corporis afflictationibus se perpetim exercere, nuptiis, conviviis. balneis, hominum congressibus, armis item & militia abstinere omnino debuerant. Cùmque alii diebus Dominicis, ac tempore Paschali stantes orarent, flexis illi genibus preces fundebant &c. Hic tamen pœnarum rigor per varias potissimùm *Indulgentias* sive Ecclesiæ condonationes magis semper magisque mitigatus est posterioribus seculis.
19. Quòd si Clericorum quispiam majoribus initiatus Ordinibus deliquisset, dignitatis suæ gradu dejectus cum laicis ad sacram debebat Synaxim accedere, quæ Clericis aliis distribuebatur intra *Presbyterium*. sive septa altaris, quo divinorum Officiorum tempore nulli laicorum ingredi licebat.

8. Qui Ordines Religiosi instituti?

Aureo hoc Constantini M. Seculo Monahi, qui priùs dispersi ut plurimùm habitabant, maximo jam numero unà degere cœpêre. S. Antonius in Armenia, Scythia, Nitria, & Thebaide, S. Pachomius in Ægypto, S. Hilarion in Palæstina, S. Basilius in Græcia multa frequentiaque asceteria condidêre. Basilii certè institutum longè lateque per totum Orientem propagatum est. Plurima quoque in Italia, Insulisque adjacentibus asceteria visebantur. Quin & in urbe orbis Domina crebra Virginum monasteria & Monachorū multitudinem innumerabilem floruisse auctor est S. Hieronymus, quem doctrina, institutione, & exemplo suo haud parùm ad id contulisse constat. S. Ambrosius Mediolani, S. Eusebius Vercellis, S. Martinus Pictavii & Turonibus Monasteria cœnobitarum & numero & pietate florentissima condidit. In Africa quoque S. Augustinus Religiosas utriusque sexus familias instituit, atque ad Apostolicæ vitæ doctrinæqne disciplinam diligentissimè erudiit,

9. Quinam doctrina & sanctitate eminuere?

S. Hilarius Episcopus Pictaviensis. S. Optatus Episcopus Milevitanus, S. Athanasius Patriarcha Alexandrinus, S. Ephrem Diaconus Edessenus, S. Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopus, S. Basilius M. Episcopus Cæsareensis, S. Gregorius Episcopus Nyssenus S. Basilii Frater, S. Gregorius Nazianzenus ob eximiam divinarum literarum scientiam

Theo-

Theologus dictus, S. Ambrosius Episcopus Mediolanensis, S. Joannes ob aureum eloquentiæ flumen Chrysostomus cognominatus. Floruere quoque exeunte hoc Seculo S. Hieronymus & S. Augustinus, quorum prior Jovinianum, Helvidium & Vigilantium hæresiarchas, posterior Donatistas, Manichæos, Pelagianos, Nestorianos & Eutychianos ore & calamo doctissimè confutavit. Sanctitatis laude, ut plurimos alios taceam, claruêre S. Nicolaus Episcopus Myrensis, S. Martinus Episcopus Turonensis, SS. Agnes, Lucia, Dorothea, Catharina, Ursula cum Sociis &c.

10. *Quæ miracula patrata?*

Complura horum SS. Athanasius, Ambrosius, Gregorius Nyssenus & Nazianzenus, Theodoretus aliique literis consignârunt. Prodigiosa erat crux a Constantino M. in àere conspecta, uti & ignis e fundamentis magna vi erumpens, cum Judæi templum Hierosolymitanum, favente Juliano Apostata, instaurare tentarent.

Seculum V.

1. *Quo ordine supremi Ecclesiæ Pastores sibi successêre?*

41. S. Innocentius ad ann. 417.

Reliquos vide in fine Opusculi.

2. *Qui vero supremo hoc munere sunt perfuncti?*

Insigni omnes sanctitatis juxta & doctrinæ laude rexere Ecclesiam, & contra exortas hæreses

fortissimè propugnârunt. S. Leo M. divinæ suæ eloquentiæ vi & sanctitatis famâ Attilæ Hunnorum & Genserici Vandalorum Regis furorem mirificè cohibuit, avertitque

3 Quis Ecclesiæ tunc Status?

Tametsi sub ea tempora Anastasius Imperator Eutychianam, Reges Africæ, Italiæ & Hispaniæ Arianam hæresim acerrimè propugnabant; Angliæ verò, Burgundiæ, & Germaniæ Reges à Religione Christiana alienum prorsus animum gerebant; Ecclesia tamen ex Christi promissione stetit semper immota, stabitque, dum orbis stabit, nullis inferorum machinis expugnanda. In Persia ab A. 420. ad A. 450. Isdegerdes & Varanes, in Africa & Sicilia ab A. 437. ad A. 499. Gensericus ejusque filius Hunnericus sævissimas in Christianos quæstiones exercuêre. Famosum porrè illud decretum *Unitivum*, quod Zeno Imperator Acacii Episcopi Constantinopolitani instinctu ad Eutychianos Ecclesiæ conciliandos edendum curavit, licèt nullam disertè hæresim contineret, meritò tamen ab Orthodoxis rejectum est, tum quod Principes laici decernere de fidei dogmatis nil possint; tum quòd jam tunc experientia eventusque docuerit, hæreticos cessione & indulgentia non meliores, sed deteriores potiùs audacioresque fieri.

4. Quanta Ecclesiæ incrementa?

Franci qui nuper è Germania in Galliam commigrârunt, Clodovæi Regis exemplo nomen Chri-

sto dedêre. Burgundiones à S. Domitiano Episcopo Genevensi, Scoti à S. Palladio, Hiberni à S. Patritio, Norici à S. Severino Abbate Christo initiati fuêre.

5. *Quæ potiores Seculi huius hæreses?*

1. Vigilantius Presbyter invocationem cultumque Sanctorum & sacrarum Reliquiarum, Virginitatem item & cœlibatum Sacerdotum acerrimè impugnabat. 2. Pelagius Monachus, præter alios errores docuit, hominen sine gratiæ divinæ adjutorio remissionem peccatorum obtinere, mandata DEI omnia observare, vitamq; æternam consequi posse. 3. Semipelagiani, sic dicti, quòd partim cum, partim cōtra Pelagianos sentiebāt, necessitate quidē gratiæ admittebant, non tamen ad initium fidei & salutis. Præterea perseverantiam & electionem ad gloriam naturali hominum conatui & merito adscribebant: quin & infantes alios ante, alios post Baptismum extingui ajebāt ob prævisa mala vel bona eorum opera, si supervicturi fuissent. 4. Nestorius, ex Monacho Alexandrino Episcopus Constantinopolitanus, duas in Christo personas admisit, divinam unam, alteram humanam; atque hinc negavit, Mariam DEI Matrem esse, dicique posse. 5. Eutyches Archimandrita, & Dioscorus Patriarcha Alexandrinus Christum non nisi ex unica constare natura dicebat. 6. Prædistinatiani nec opera bona prædestinatis prodesse, nec mala reprobatis obesse contendebant.

6. *Quæ Concilia celebrata?*

1. Ephesi A. 431. Cocilium Oecumenicum tertium ducentorum & ampliùs Episcoporum contra Nestorum. 2. Chalcedone A. 451. Concilium Oecumenicum quartum sexcentorum & triginta Patrum contra Eutychetem & Dioscorum. 3. Carthagine plures Synodi contra Donatistas, 4. ibidem A. 416. Synodus trecentorum Episcoporum contra Pelagium, ejusque sectatores; Romæ verò & alibi alia Concilia celebrata fuêre.

7 *Qui ritus inducti aut mutati?*

1. S. Zosimus Papa concessit, ut, quod antea in majoribus duntaxat Ecclesiis fieri consvevit, cereus Paschalis singulis in parœciis consecraretur. 2. S. Simplicius bona Ecclesiastica dividi voluit quatuor in partes, quarum una Episcopo, altera Clero, tertia templi fabricæ, quarta pauperibus cederet. 3. S. Felix templa recens ædificata nonnisi ab Episcopis consecranda esse statuit. 4. Nestorii, & Vigilantii hæresiarcharum impietate velut rapido quodam vento accensa magis inflammataque est Catholicorum in Virginem Deiparam pietas, cujus honoribus complura dedicata sunt templa Angelicæque idcirco salutationi additum: *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis* &c. 5. Nocturnæ Vigiliæ & cōprecationes ad SS. Martyrū sepulchra ob varios abusus abrogatæ quidem; retentū tamen *Vigiliæ* nomen ac jejunium in Sanctorum pervigiliis ad hoc usque tempus continuatum. 6. Mamertus Episcopus Viennensis in Gallia triduanas

ante Christi Ascentionem Litanias & supplicationes in Diœcesi sua instituit, vel potius majore solemnitate continuandas curavit. Quem dein ritum universalis Ecclesia recepit. 7. S. Martinus Episcopus Sanctos inter Confessores omnium primus fuit, quem Ecclesia publico solemnique cultu devenerata est. 8. Nomina eorum, qui ad hæreticorum vel paganorum castra transfugère, è sacris Diptychis omnino eradebantur 9 Quoniam prioribus seculis Eucharistia modò sub una, modò sub duplici specie sumi solebat, Gelasius Papa ad Manichæos, qui vinum à malo dæmone productum esse tradebant, hac ratione dignoscendos utramque jussit speciem sumi. Extincta dein hac hæresi, laici sub una duntaxat panis specie Eucharistiam sumpsère, præsertim postquam Ecclesia multis gravibusque de causis ita faciendum esse decrevit.

8. Quæ religiosæ Congregationes institutæ?

1. In Africa nova identidem cùm virorum, tum mulierum condita sunt monasteria. 2. In Gallia S. Cassianus plura Massiliæ, S. Honoratus Abbas primùm, dein Episcopus Arelatensis Lirinense, alii alia instituère Cœnobia. 3. Constantinopoli Monachi Acœmetæ (*non dormientes* dicti) in Ecclesia DEI laudes diu noctuq; alternatis vicibus sine intermissione concinebant. 4. Celebre quoque Monasterium Agaunense in Vallesia perennem psalmodiam induxit. Cœnobitæ porrò ad Episcopatus aliasque dignitates translati, instituti sui leges & vestes retinebant. 6.

9. Quinam doctrina & sanctitate Ecclesiam præcipuè illustrârunt?

S. Augustinus, cujus priore seculo meminimus, S. Maximus Episcopus Taurinensis, S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, S. Petrus Chrysologus Ravennatum Episcopus, S. Hilarius Episcopus Arelatensis, S. Prosper S. Augustini discipulus, Vincentius Lirinensis, Salvianus Presbyter Massiliensis &c.

Sanctitate fulgebant S. Alexius, S. Jacobus Intercisus, aliique Martyres innumeri in Perside & Africa, S. Severinus Noricorum Apostolus, S. Remigius, S. Pulcheria Augusta, Virginitatem cum matrimonio jungens S. Genovefa &c.

10 Num defuêre miracula?

Haudquaquam; nam longè plurima à S. Augustino, Victore Uticensi Episcopo, aliisque fide dignissimis & oculatis testibus recensentur. De puero illo Constantinopoli, imperante Theodosio in aëra sublato, auditoque trisagio: *Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte & immortalis miserere nobis*, ad suos reverso, in opusculo III. meminimus. Grande quoque orbis miraculum erat Simeon ille ultra annos octoginta columnæ perpetuò insistens, &, qui eidem successit, Daniel Stylita.

Seculum VI.

1. Qui Seculi hujus Pontifices Summi?

53. Hormisdas ad ann. 523.

Reliquos vide in fine opusculi.

2. Qua

2. *Quâ laude supremi Pastores suas pascebant oviculas?*

Muneri quisque suo strenuè intenti erant, inter omnes tamen eminuit S. Gregorius M. qui sanctitatis, doctrinæ, rerumque gestarum famâ totum late orbem implevit. Vigilius in Pontificiam primùm sedem se ipse intrusit. Verùm ubi legitimis dein comitiis Pontifex renunciatus est, in alium mox virum mutatur, ex lupo Pastor ovilis Christi vigilantissimus.

3. *Quis Ecclesiæ Status?*

Disciplina Ecclesiastica pariter ac monastica magnopere viguit. Ac licèt augescente nimium quantum Christianorum numero, primus ille ardor sensim defervesceret; plurimi tamen omnis ordinis, conditionis ac sexûs sublimem sanctitatis gradum attigère.

4. *Quæ Ecclesiæ incrementa?*

Quò majora Ecclesia in Oriente ob grassantes ibidem hæreses ac schismata detrimenta, eò ampliora in Occidente cepit incrementa. Ac primò quidem regnante Recaredo, S. Hermenegildi fratre, Hispania universa, abjurata hæresi Ariana, Catholica sacra suscepit. 2. Theodelinda Bavariæ Dux pientissima Agilulphum conjugem, Longobardorum Regem cum subjectis populis ab Ariana impietate, ad religionem orthodoxam revocavit. 3. S. Augustinus ejusque socii ex S. Benedicti familia à S. Gregorio M. missi Anglos è Saxonia illuc priore seculo trajectos ad Christum adjunxère.

5. *Quæ*

5. Quæ hæresum lolia pullularunt?

Potiores temporis hujus hæretici erant Eutychiani, in sectas propè innumeras, Chalcedonensi omnes Concilio adversantes, divisi, qui & Acephali *sine capite dicti*, quòd superioribus Ecclesiasticis subesse detrectarent. Ex his erant Agnoëtæ, Aphtartodocetæ, Tritheitæ, Theopaschitæ &c. primi docebant, Christum ignorare extremum judicii diem &c. secundi, Christi Corpus ante resurrectionem nec corruptioni, nec perpessioni fuisse subjectum; tertii, SS. Trinitatem ex tribus constare naturis; quarti (quorum auctor priore Seculo erat Petrus sive Fullo) divinitatem ipsam cruci fuisse affixam, qui error ansam dedit diuturnæ illi controversiæ: *Unus è Trinitate in carne passus est.* Quam quæstionem, licèt Catholicæ fidei haud adversantem, Hormisdas ad novas & inutiles tricas præcavendas, decidere noluit.

6. Quæ Concilia coacta sunt?

1. In quinto Concilio Oecumenico Constantinopoli A. 553. præsentibus tribus Patriarchis & centum sexaginta quinque Episcopis celebrato, damnatus Origenes, & *tria Capitula*, hoc est, scripta Theodori Episcopi Mopsuesteni, & Theodoreti Episcopi Cyrensis, atque Epistola Ibæ Episcopi Edesseni. 2. In Synodo Arausicana II. condemnati sunt Semipelagiani, sive *Massilienses*, sic dicti, quòd hæresis hujus architecti non pauci Massiliæ sedem fixerint.

7. Qui

7. Qui ritus aliaque ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentia introduci cœpta?

1. S. Gregorius M. cantum Ecclesiasticum preces que horarias in eam fermè, qua Ecclesia hodie dum utitur, formam redegit; Missæ ritus quosdam precesque adjecit: quadraginta dierum jejunio sacrorum cinerum aspersionem præmittendam esse statuit. 2. Episcopis ob graves subinde causas permissum, ut *Coadjutorem* cum jure successionis sibi possent asciscere. 3. Iidem Ecclesiæ suæ, nisi aliud fortè hujus aut utilitas, aut necessitas posceret, coràm semper & in promptu adesse debuerant; Episcopatu verò cedendi copia nemini, nisi ex causis gravissimis, facta est. 4. Episcoporum causæ in conciliis *particularibus*, quibus Archiepiscopi præerant, dijudicari solebant; inde tamen ad Papam dabatur provocatio. 5. Nec Presbyteri ante annum tricesimum, nec Diaconi ante vicesimum quintum initiabantur. Non rarò tamen pueri, qui ad munia Ecclesiastica idonei videbantur, clericali habitu induti, in Seminariis instituebantur: cæteri verò Clerici cum Episcopo suo iisdem in ædibus passim habitabant, erantque tam hi, quàm illi exempti prorsus à laici Magistratus jurisdictione. 6. Pelagius I. legem tulit, ut Clerici omnes, qui sacræ psalmodiæ non interessent, preces Canonicas jam inde ab Apostolorum temporibus statis diei noctisque horis decantari solitas, privatim persolverent; qua de re in Conciliorum æquè & Pontificum ordinationibus

crebra

crebra fit mentio. 7. Diaconiſſarum & nomen, & officium hoc ſeculo abrogatum eſt.

8. Quibus Ordinibus Religioſis Eccleſia decorata ſimul & firmata eſt?

1. S. Patriarcha Benedictus in monte Caſſino celeberrimi ſui ordinis fundamenta jecit, quem toto latè Occidente mirificè propagavit, ſanctiſſimis legibus præſcriptis. 2. In Hiſpania S. Iſidorus Epiſcopus, & S. Fructuoſus Abbas, in Gallia S. Cæſarius, Aurelianus. Ferreolus, Donatus Epiſcopi, & S. Abbas Columbanus peculiaribus vivendi legibus conſcriptis, inſtitutum monaſticum magnopere promoverunt.

9. Quinam doctrina & ſanctitate celebriores?

Præter jam memoratos Severinus Boëtius Conſul Romanus, omnium diſciplinarum, virtutumq; Chriſtianarum laude præfulgens, S. Fulgentius, S. Gregorius Turonenſis, S. Leander Hiſpalenſis Epiſcopus &c.

S. Maurus Abbas, S. Medardus, S. Patritius Hiberniæ Apoſtolus, S. Clotildis & S. Radegundis Franciæ utraque Regina, S. Maria Ægyptiaca &c.

10. Num DEUS miraculis quoque Eccleſiam ſuam illuſtravit?

Ex innumeris unum alterumque affero. 1. Sacrificante S. Gregorio M. panis Euchariſticus, quem mulieri de ſacramenti hujus veritate ambigenti porrecturus erat, in carnem verſus eſt. 2. Epiſcopi Orthodoxi, quibus Vandali lingvas uſq; ab radicibus reſecuerant, diſertè ut priùs loqui perre-

perrexére. Multis adhæc magnisque miraculis claruere SS. Benedictus, Severinus, Leonardus, Medardus, Brigida &c. Plura percensent S.Gregorius M. S. Gregorius Turonensis, aliique.

Seculum VII.

1. *Quæ Romanorum Pontificum successio?*

66. Sabinianus ad ann. 606.

Reliquos vide in fine opusculi.

2. *Quid de seculi hujus Pontificibus generatim dicendum?*

Magna omnes laude Ecclesiæ gubernacula tenuère. Honorio Pontifici cætera laudatissimo id vitio jure vertitur: quòd Sergii Patriarchæ Constantinopol. Hæretici Monothelitæ artibus inductus, ejusdem errorem mox atque innotuit, palàm ac manifestè damnare neglexerit, ratus, nascentem hanc hæresim indicto utrinque silentio compesci posse; cùm tamen experientia teste, sectarii silentium, quod à Catholicis servatum cupiunt, ipsi minimè teneant, tantoque tunc nocentiùs, quanto tectiùs virus suum spargant, quasi ipsiusmet Apostolicæ sedis tolerantiâ tantùm non approbatum id sit. Bonifacio III. Ecclesiæ præsidente, nomen Episcopi Oecumenici, seu universalis, quod Patriarcha Constantinopolitanus contra jus fasque sibi arrogaverat, solemni ipsius quoque Imperatoris Phocæ edicto vindicatum est soli Pontifici Romano, tanquam Episcoporum Episcopo

omni-

omniumque Ecclesiæ Pastorum Pastori, cui Christus ipse oves suas omnes & agnos pascendos tradidit. S. Bonifacius IV. magnificum delubrum Pantheon dictum, ejectis commentitiorum Deorum simulacris Deiparæ, omniumque Martyrum honoribus dedicavit. S. Martinus Papa ab Imperatore Constante crudelissimè vexatus est, quòd Monothelitarum hæresi fortissimè se opposuerit.

3. Quis status Ecclesiæ?

Huic Chosróes Persarum Rex magnas clades intulit, imò & Heraclius, postquam Monothelitarum hæresi implicitus, totus à se ipse degeneravit. Ejus nepos Constans Imperator dum memoratam modò hæresim totis viribus propagare nititur, se, remque Christianā pessumdedit. Quidam etiam Orientis Imperatores per vim jus sibi arrogaverant Papæ electionem assensu suo ratam habendi; sed Constantinus Pogonatus pristinam Ecclesiæ libertatem restituit; tametsi Exarchi, etiam contra Imperatoris mentem, jus illud prætensum aliquamdiu persequi sint ausi.

4. In quaenam regiones missi Evangelii præcones?

Tametsi in Africa, quam Saraceni occupaverant, Fidei lumen extinctum est, id ipsum tamen in multis aliis provinciis exoriri cœpit. In Flandria S. Eligius, in Franconia S. Chilianus verbi divini sementem sparsit. Batavos & Frisios cum Saxoniæ parte SS. Suibertus & Wulfranus ad Christum adduxère &c. Judæi in Oriente, Hispania &

Gallia

Gallia exilium, vel Baptismum eligere jubentur. Exeunte hoc seculo S. Rupertus, Wormatiensis antea Episcopus à Theodone III. Bavariæ Duce invitatus, sacro hunc fonte abluit. Idem sacram Oettingæ ædiculam non in Germania tantùm, sed apud exteras quoque nationes ob innumera maxima que miracula ad hoc usque tempus ibidem fieri solita celebrem Deiparæ honoribus dedicasse traditur.

5. *Quæ hæreses exortæ?*

1. A. 622. Machometes, Judæo quodam & Sergio Monacho adjutoribus, ex omnibus fermè sectis, ut omnes ad se pelliceret, suam conflavit sectam. Nam cum Sabellio negavit SS. Triados mysterium; Christo, quem Prophetam Sanctum ex Maria Virgine natum affirmavit, divinitatem abrogabat cum Carpocrate; cum Judæis & Ebionitis circumcisionem, crebras corporis lavationes, aliaque id genus ad salutem necessaria esse docuit: cum Anthropomorphitis Deum finxit corporeum; cum Tatianistis vini usum suis prohibuit &c. Atque his aliisque innumeris erroribus, fabulis, ineptiis Alcoranus totus, quantus est, scatet. Execranda porrò hæc secta per totum fermè Orientem & Africam celerrime propagari cœpit. Neque id mirum; quippe veterator ille nequissimus reluctantes vi armorum; cæteros verò escâ voluptatum, in quibus cum Epicuri de grege porcis supremam hominis felicitatē posuit, catervatim in suas pertraxit partes. 2. Monothe-

litæ, quorum duces erant Cyrus & Sergius Patriarchæ, ille Alexandrinus, hic Constantinopolitanus, quibus postea etiam Macarius Patriarcha Antiochenus accessit, nonnisi unicam in Christo voluntatem admittebant.

6. Quæ habita Concilia?

1. A. 680. Constantinopoli in Concilio Oecumenico VI. Monothelitæ damnati fuère. 2. A. 649 à S. Martino Papa centum & quinque Episcoporum Concilio Romæ coacto Monothelitarum hæresis condemnata: proscriptaque *Ecthesis* Heraclii & *Typus* Constantis Imperatorum. Ecthesis sive *expositio* à Sergio, Typus sive credendi *formula* quædam à Paulo, Patriarchis Constantinopolitanis dictorum Imperatorum nomine vulgabantur, quibus ad conciliandam seu potiùs turbandam Ecclesiæ pacem Catholici æquè ac Monothelitæ silere deinceps jussi sunt de una aut gemina in Christo voluntate. Alia insuper Concilia alibi cùm ad profligandas hæreses, tum ad morum disciplinam restituendam celebrata fuère.

7. Qui ritus inducti?

1. Sabinianus Campanarum pulsum. S. Vitalianus Organa, aliaque instrumenta musica in templis adhibenda curavit. 3. Die Purificatæ Virgini sacra cerei consecrati, distributique: unde Festum seu *Missa Luminum*. 4. A. 680. Romæ divino monitu Ara S. Sebastiani honoribus est erecta, sacraque ejus lipsana illuc translata ad propulsandam horribilem luem, quæ exinde mox cessavit. 5. Exaltationis S. Crucis solemnitas post

signem illam Heraclii victoriam de Chosròé reportatam multò illustrior haberi cœpit.

8. *Quo statu fuerat disciplina Monastica?*

Etsi novus hoc seculo ordo religiosus fundatus non est, priús tamen instituti magis semper magisque propagari cœpêre, præcipuè S. Benedicti familia, cui Principes quoque non pauci nomen dedêre.

9. *Qui seculi hujus scriptores aliique Sancti nominatiores?*

S. Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus & S. Maximus Abbas Martyr, gloriosi ambo Monothelitarum debellatores, S. Isidorus Episcopus Hispalensis, S. Ildephonsus Archiepiscopus Toletanus &c.

S. Oswaldus Angliæ, S. Sigebertus Austrasiæ Rex, S. Emmeramus, S. Gertrudis Abatissa Nivellensis &c.

10. *Quæ miracula celebriora?*

Heraclius Imperator Christi Crucem ex hoste receptam nonnisi superbissimis vestibus humili cũ habitu mutatis pristinum in locum reportare potuit. Multa porrò magnaque miracula SS. Amandus, Columbanus, Gallus, Joannes Eleemosynarius &c. edidêre, quæ in eorundem Sanctorũ actis fusè recensentur. Nec pauca collegit Joannes Moschus, ævi hujus scriptor percelebris, qui in *Prato spirituali*, à Synodo VII. laudato memorat, Panem Eucharisticum Seleuciæ à Catholico heri hæretici famulo domi in armario repositum

cul.no•

culmos postea & spicas emisisse, qui palàm dein ostensus est Episcopo & populo, rei novitate prorsus attonitis.

Seculum VIII.

1. *Quinam Pontifices in Petri Cathedra sedêre?*

86. Joannes VI. ad ann. 705.

Reliquos vide in fine opusculi.

2. *Ecquod horum Pontificum regimen?*

Magna omnes cura & solicitudine rem Ecclesiæ administrabant. Gregorio II. Gregorio III. Zachariæ, Stephano III. & Hadriano I Exarchi, & Longobardorum Reges plurimum negotii facessivêre. Contra quorum iniquas violentasque machinationes Carolus Martellus, Pipinus & Carolus M. eos strenuè defendebant.

3. *Qui erat Ecclesiæ status?*

Sicut fidei doctrina à Christo & Apostolis tradita inde ab Ecclesiæ exortu eadem semper sine ulla prorsus immutatione perstiterat; ita è contrario morum disciplina magnas identidem vicissitudines subiit. Atque hoc quidem seculo primus ille Christianorū fervor ac pietas haud parū remisit, Regento maximè vitio. Nam Græci Imperatores pleriq; vel hæresi erant infecti, vel hæreticorū fautores. In Gallia Reges ad Pipinum usq; otio ut plurimum & voluptatibus diffluebant. Hispaniam universam, Witiza Rege ejusque successore in omnia se vitia effundentibus, Mauri inundâ ūt. In Italia Pontifices quò fortiùs constantiusque pro

DEO

DEO & Ecclesia stabant, eò acerbiùs indigniusque accipiebantur. Germania magnam partem densis idololatriæ tenebris immersa jacuerat. Clerus ipse à primæva illa morum integritate & sanctitate magnopere desciverat, populo eorum, qui sacris æquè ac profanis præerant, exemplum, ut fit, imitante. At verò in Anglia Scotiaque Religio Catholica tantopere floruit, ut Sanctorum patria haud immeritò nominari potuerit.

4. *Quæ gentes ad veræ fidei notitiam adductæ?*

S. Bonifacius natione Anglus, à S. Gregorio II. missus, Germanos Christiana fide imbuit, qui deinde à S. Zacharia Papa primus Moguntinensium Archiepiscopus A. 745 creatus, plures Germaniæ Episcopatus, quos inter Ratisbonensis, Eustadianus, & Herbipolensis &c. annuente & confirmante Pontifice instituit, remque Christianam insigniter promovit, *Germaniæ Apostolus* meritò nuncupatus. S. Ludgerus porrò in Westphalia, S. Wilibrordus in Frisia, S. Rupertus, & Corbinianus in Germania superiore, S. Humbertus in Brabantia quàm plurimos Ecclesiæ adjunxit Carolus M. Saxones victricibus armis svavi Christi jugo subjecit.

5. *Quæ hæreses exortæ?*

A. 726. Leo Isauricus Imperator, ejusque filius Copronymus, Imperii juxta ac paternæ impietatis hæres cum Leone IV. impio pariter Copronymi filio bellum, quod jam olim Marcionitæ, Manichæi, aliique hæretici sacris imaginibus indixêre, totis viribus instaurârunt. A. 785. Felix Episco-

pus Urgellitanus, & Elipandus Archiepiſcopus Toletanus Neſtorii hæreſim ab inferis revocârunt, dum Chriſtum ſecundùm naturam humanam non niſi adoptione Filium DEI eſſe aſſeverabant, ac proinde geminas ei perſonas ſeu hypoſtaſes affingebant.

6. Quibusnam in Conciliis memoratæ hæreſes condemnatæ fuêre?

A. 787. Concilium Nicænum ſecundum, inter Oecumenica ſeptimum, à trecentis quinquaginta Patribus contra Iconomachos celebratum eſt, ubi Iconoclaſtarum hæreſis damnata, ſacrarumque imaginum cultus vindicatus, Felicis porró atque Elipandi hæreſis A. 792. in Ratisbonenſi, ac biennio pòſt in Francoſordienſi Synodo damnata eſt. Complura alia Concilia alibi ad reſtituendã morum diſciplinam inſtituta fuêre.

7. Quid de ſacris ritibus memorandum?

1. Lege cautum eſt, ne quis, niſi jejunus divinæ menſæ accumberet. 2. In defunctorum ſolamen ac ſubſidium perpetua ſacra anniverſaria, ſodalitatesque inſtitutæ. 3. *Officium parvum*, ùt vocant, B. Mariæ introductum. 4. Caroli M, temporibus Sacerdotibus eadem die iteratò Sacris operari licuerat. 5. Mos diſtribuendi Euchariſtiam pueris, qui divino intererant ſacrificio, antiquatus eſt.

8. Quis vitæ Monaſticæ progreſſus?

Piorum liberalitate & munificentia plura in dies Monaſteria condebantur, eò quòd res ibi divina ſingulari pietatis ſtudio, exemplo atque ædifica-

dificatione peragebatur. S. Bonifacius Germaniæ Apostolus A. 744. Fuldæ; S. Hildegardis verò Caroli M. Augusta conjux A. 777. Campiduni celeberrimum Ord. S. Benedicti Cœnobium, quod dein utrumque Principis Abbatiæ dignitate condecoratum est, condidêre &c. Nec pauci principali etiam, regioque orti stemmate in monasteria se abdidère, perpetuam ibidem servitutem DEO serviturі. Contrà passim Monachi è cœnobiis ad infulas, gravissimaque Ecclesiæ negotia ac munia evocabantur. Mulieribus non patebant aditus ad templa Monachorum, qui aliàs quoque ab externorum alloquio & consvetudine magnopere abhorrebant. Unde S. Hidulphus Abbas Medanensis S. Spinulum jam vitâ functum à patrandis deinceps miraculis abstinere jussit, ut hac ratione *externis* omnis via præcluderetur Monachorum solitudinem obturbandi.

9. *Quinam doctrinâ & miraculis claruêre?*

S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, Venerabilis Beda, S. Joannes Damascenus cultûs sacrarum imaginum propugnator acerrimus, S. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus, qui in Frisia martyrii laureâ decoratus est.

S. Richardus Anglorum Rex, S. Wilibaldi Episcopi Eustettensis, & S. Wunibaldi Abbatis, ac S. Walburgæ sacrarum Virginum Antistitæ parens &c. S. Rupertum, Bojorum Apostolum, nonnisi sub annum seculi hujus vicesimum e vita migrâsse accuratiores tradunt historici.

10. *Quibus præcipuè miraculis Religio Christiana confirmata est?*

1. Crucifixi imago Beryti à Judæis perfossa, largo sangvine manavit. 2. S. Joanni Damasceno manus dextra amputata restituitur à Virgine Deipara. 3 Concilium Nicænum II. miracula à. S. Platone M. in liberandis captivis patrata suo confirmat testimonio 4. S. Suibertus Episcopus, & S. Winocus Abbas multis inclaruêre miraculis. 5. S. Ludgerus Episcopus Monasteriensis, & V. Beda ævi sui miracula literis consignârunt.

Seculum IX.

1. *Quinam hoc seculo Pontificatum gessêre?*

99. Stephanus V. ad ann. 817.

Reliquos vide in fine Opusculi.

2. *Quâ laude Pontifices isti rexêre Ecclesiam?*

Perinsigni, si Stephanum VII. excipias, qui postquam in sedem Pontificiam se intruserat, instigante potissium Sergio Antipapa, formosi cadaver effossum, ac Pontificiis exutum insignibus, in Tiberim projici jussit. Hic dein è sede, quam invaserat, deturbatus, & in carcere strangulatus est. Joannes VIII. quòd impiis Photii, sedem Constantinopolitanam occupantis molitionibus constantia minùs virili se opposuerit, ansam fors dedit fabellæ illi de Papa fæmina; quod ineptissimum absurdissimumque commentum evidentibus pridem argumentis, ipsoque adeó silentio scripto-

rum

rum omnium, maxime Græcorum, Romanæ Sedi id temporis summopere adversantium, satis superque confutatum est. Quidam Formosum inter & Stephanum VII. inferserunt Bonifacium VI. qui post Formosi obitum A. 897. Romanam sedem invasit, tenuitque diebus quindecim.

3. *Quis Ecclesiæ status nono hoc seculo?*

Quam studiosus tuendæ amplificandæque Ecclesiæ fuerat Carolus M. in Occidente, tam remissi erant in Oriente Imperatores Græci, qui proinde Imperatoria dignitate prorsus exciderũt Cæterum tametsi fidei doctrina ne minimum quidem detrimentum unquam ceperit, capereve potuerit, morum tamen disciplina, & eximius ille virtutum splendor, quo in primo Ecclesiæ exortu pusillus Christi grex tantopere inclaruit, crescente in dies Christianorum numero haud parùm defecerat.

4. *Quibusnam in regionibus promulgatum est Evangelium?*

S. Anscharius Episcopus Hamburgensis Svecos & Danos S. Cyrillus vero cum S. Methodio fratre suo germano Bulgaros, Moravos, & Bohemos &c. fidei Christianæ notitiâ imbuerunt.

5. *Quinam hæretici Ecclesiam oppugnârunt?*

1. Gotteschalcus Monachus vagus & exlex affirmaverat, DEUM, sicut quosdam ad vitam, ita alios ad mortem æternam destinâsse, homines ad peccandum impellere; nec velle omnes salvos fieri, sed eos duntaxat, qui salvantur. Christum pro electorum duntaxat salute mortem oppetiisse &c,

Quas hæreſes Lutherus, Calvinus & Janſenius multis pòſt ſeculis reſuſcitarunt. 2. Photius nobilitate, opibus, aulæ favore profanaque maximè eruditione turgidus, & ad quidlibet audendum projectus, poſtquam A. 858. in Sedem Conſtantinopolitanam involaverat, fundamenta jecit luctuoſo illi Græcorum ſchiſmati. Utque veterator hic verſutiſſimus nequitiæ ſuæ rationem obtenderet, Eccleſiam Romanam variorum errorũ inſimulare eſt auſus, atque inter alia eidem exprobrabat, quód illis Symboli verbis *qui ex Patre procedit*, interſeruerit *Filioque*: quód non feriâ quartâ, uti Eccleſia Græca, ſed Sabbato ſuis jejunium imperet; quód Matrimonii Sacramentum vilipendat, Clericos à nuptiis arcendo &c. Ajebat inſuper, per ipſam Imperii Romani Conſtantinopolim translationem urbis illius Patriarchæ præ Epiſcopo Romano primas datas, & adjudicatas fuiſſe &c. Ac licet ſchiſma hoc, ab impio Photio excitatum, haud multò poſt ſopitum fuerit; ſeculo tamen XI. à Michaële Cerulario inſtauratum in hanc uſque diem perdurat.

6. *Quæ Concilia celebrata?*

1. In Synodo Oecumenica VIII. Conſtantinopoli A. 869. coacta, S. Ignatius Sedi Conſtantinopolitanæ, qua per ſummum nefas ab impio Photio deturbatus erat, reſtituitur, ſacratumque imaginum cultus concordibus denuò ſuffragiis approbatur. 2. Gottelchalcus à pluribus Conciliis hæreſeos damnatus, ſcriptisque igni datis, in perpetu-

etuam custodiam, ne porro nocere posset, traitus est.

7. *Quid de sacris ritibus dicendum?*

1. Dies Omnium Sanctorum honoribus sacer Gregorii IV. jussu ab universa Ecclesia solemni ritu celebrari cœpit. 2. Gravi morbo oppressi *confessione Sacramentali* peccata primùm expiabant, um *Extremæ Unctionis Sacramento* muniebantur, morboque ingravescente sacro demum viatico reficiebantur. 3. Jus viros ad Ecclesiastica munia idoneos nominandi laicis quoque fuit concessum.

8. *Quis disciplinæ monasticæ progressus?*

Regula S. Benedicti in Occidente magis semper magisque propagata est: nec viri solùm & matronæ in Oriente æquè ac Occidente, in Monasteria sese abdidêre, sed pueri quoque puellæq; suave disciplinæ monasticæ *jugum portârunt ob adolescentia sua*, floremque & primitias ætatis DEO magna animi alacritate consecrârunt.

9. *Quinam sanctitate & doctrinâ celebriores?*

Sanctitate præcelluêre, S. Anscharius Archiepiscopus Hamburgensis, regionum Septentrionalium Apostolus, S. Fridericus Episcopus Trajectensis. S. Edmundus Angliæ Rex, S. Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus &c.

Doctrinâ eminebat Alcuinus Caroli M. præceptor, dein Abbas S. Martini Turonensis, Eginhardus, qui à secretis fuit Carolo magno, cujus res gestas literis consignavit, Selingenstadiensis dein Monasterii conditor, & primus Abbas, Rabanus

Maurus Abbas Fuldensis, ac postea Archiepiscopus Moguntinus Paschasius Radbertus Abbas Corbejensis; quem hæretici quidam omnium primum fuisse, qui doctrinam de transubstantiatione, veraque Christi in Eucharistiæ Sacramento præsentia tradiderit, protervè, more suo, mentiuntur; cùm utrumque illud dogma inde ab Apostolorũ temporibus ab Ecclesia orthodoxa divina semper fide creditum fuisse invictis omnino argumentis demonstrari possit. Neque ulla id temporibus de ipsa dogmatis veritate, sed de modo duntaxat loquendi, quo Paschasius est usus, qui nonnullis novus, sed planè immeritò videbatur, controversia erat.

10. *Quæ miracula patrata?*

1. Ramirus Hispaniæ Rex prodigiosam à Mauris victoriam reportavit S. Jacobi Apostoli auspiciis, qui fervente prælio in aere candido insidens equo niveum vexillum rubræ crucis figurâ distinctum præferre conspectus est. Quapropter Rex victor edito diplomate Hispaniam magno huic Evergetæ vectigalem fecit. 2. Caradignæ in Hispania pavimentum, sub quo tumulati jacent ducenti Monachi, à Saracenis ex odio fidei trucidati quotannis sangvineo sudore madere conspicitur, quo die illustres hi pugiles martyrii laureâ coronati sunt. 3. SS. Anscharius, Eulogius, Rembertus, aliique plures miraculis claruêre.

Secu-

Seculum X.

1. *Qui Seculi hujus Pontifices?*

118. Benedictus IV. ad ann. 903.

Reliquos vide in fine Opusculi.

2. *Quid de Pontificibus hisce commemorandum?*

Posteaquam Stephanus VII. priore seculo omnium primus Petri sedem vitæ improbitate infamaverat, ejus vestigiis seculo X. plures alii institêre. Tanti mali hæc erat origo. Adalbertus Tusciæ Comes longè potentissimus, ejusque conjux Theodora, cum geminis filiabus Marozia & Theodora, immensæ ambitionis, ac prostitutæ impudicitiæ mulieribus Romæ dominatum quasi & dictaturâ exercebant, Pontifices suarum partium, nulla doctrinæ morumque ratione habita, per vim intrudendo. Horum è numero erat Sergius III. cujus tamen principia non tam mala esse, quàm credit Baronius, nec pudendos fuisse progressus, nisi eos Maroziæ nobilis scorti amor infamasset, Papebrochius, vir in omni historia longè versatissimus testatur, aitque temerè quædam eidem impingi. Quin etiam inter Pontifices de Ecclesia bene meritos numerandum censet, esto suam ipse famam incontinentiæ maculâ inquinârit. Joannes X. tametsi vitæ priùs esset minùs probatæ, atque artibus insuper & potentià Theodoræ in Petri sedem intrusus fuerit, Pontificatum tamen tredecim & amplius annis non malè administravit, vitæque anteactæ maculas, tum pœnis de se sumptis, tum

à Divi-

à Divina Nemesi inflictis eluisse creditur. Namque à Gvidone Tusciæ Comite, instigante imprimis Marozia conjuge de supremo dignitatis gradu in carcerem detrusus, nec multò pòst faucib9, ùt ajunt, cervicali occlusus, suffocatus est. Eadem Marozia adnitente intrusus est Joannes XI. quinque circiter & viginti annorum juvenis, Maroziæ & uti meretrix hæc perhibuit, Sergii III filio nothus, cæterà non malus, sed nec laude dignus, qui à fratre suo Alberico Pontificatu dejectus, & in carcerem cum impia matre sua abductus est, ubi & mortem oppetiit. Joannes XII modò memorati Alberici Tusciæ Comitis filius, vix duodeviginti annos natus, præpotenti suorum factione & armis in supremo dignitatis Ecclesiasticæ gradu est collocatus, id quod tolerari iniquissimis illis temporibus debuit, ne Ecclesia schismate, malorum omnium pessimo, scinderetur. Ac licèt hic Pontifex vitam duxerit Christi Vicario indignam, non pauca tamen crimina à personato illo Luitprando, aliisque, Leonis præsertim Antipapæ, quem Otho Imperator intrudendum curavit, partes sequentibus, eidem affictа fuisse constat. Christophorus post aliquot mensium Pontificatũ per vim occupatum, à Sergio III. in monasterium detrusus est, ubi paulò pòst obiit. Hunc quidam à Pontificum albo expungunt, uti & Landonem post aliquot pariter mensium Papatum vitâ functum, cui illud probro vertitur, quòd importunis & vix non armatis in periculosissima Theodoræ preci-

cibus

cibus vinctus, Joannem à Bononiensi ad Ravennatentem Episcopatum transferri sit passus. Cæteris Pontificibus, muneri suo graviter intentis, Comites Tusculani multum negotii facessiverunt, quibusdam exilio, aliis carcere, aliis etiam morte mulctatis, suo ut arbitratu sublegere possent Pontifices, tanto licèt munere prorsus indignos. Calumniam porrò Silvestro II. à Bennone nominum mendacissimo, impactam, & à juratis Pontificii nominis hostibus toties decantatam, satis superque refutant scriptores coævi, qui eximiis omnes laudibus efferunt hunc Pontificem, virtute non minùs, quàm doctrina, ac Matheseos præcipuè peritia præstantem; unde à quibusdam magiæ insimulabatur. Tanta temporum illorum iniquitas dicam, an ignoratia fuerat. Antipapas demum, quotquot Ecclesiam unquam conturbârunt, ad calcem opusculi hujus ordine percensebimus. Hos inter Bonifacius VII. fuerat, qui sublato Benedicto VI. in Petri sedem A. 674. se intrusit, de qua post mensem dejectus, direptâ Basilicâ Vaticanâ, Constantinopolim aufugit, indeque A. 985. rediens, cùm solium Pontificium post Joannis XIV. mortem menses aliquos occupâsset, repentina morte interiit.

3. *Quis Ecclesiæ status?*

Calamitosior longè, quàm unquam aliàs sub ethnicis, vel hæreticis Imperatoribus, aliisq; mundi monarchis; quò enim furiosiùs hi, Orco instigante, Ecclesiam oppugnabant, eò gloriosiùs hæc

de

de idololatria, & hæresi semper triumphabat. At postquam perverso hoc seculo infensissimus humani generis hostis ipsos adeò Principes, qui orthodoxos se profitebantur, eò induxit, ut electionem Pontificum tyrannicè sibi arrogare sint ausi; quot non exinde orta sunt mala? Cùm enim Pontifices in sanctam illam sedem per summum nefas intrusi, vitæ essent minùs probatæ, tam Clerus, quam populus probro sibi haud duxit, ad summi sacrorum Pontificis exemplū mores suos conformare. Hinc tanta rerum divinarum ignorantia simul & incuria: hinc sacrorum nundinatio; hinc sacrilegi concubitus, malaque alia pænè innumera. Nihilominus Ecclesia etiam contra hos Inferorum assultus, utut periculosissimos, non solùm perstabat ex Christi promissione invicta semper & immobilis, sed novis etiam incrementis & accessionibus aucta est.

4. *Quænam incrementa illa?*

1. A. 965. Poloni cum Duce suo Miecislao, 2. A. 912. Normanni cum Rollone Duce suo, 3. An. 958. Slavi, 4. A. 988. Russi Christo nomen dedêre, 5. A. 949. Dani cum Rege suo Haraldo Ecclesiæ penitus se subjecêre.

5. *Num hæreses quoque Ecclesiam infestârunt?*

Singulari DEI pro Ecclesia jugiter, etiam cùm dormire videtur, excubantis providentia factum est, ut seculum hoc solum & unicum nulla sit nova hæresi funestatum, nec factioso schismate, cui perversi quorundam Pontificum mores ansam præ-

præbere poterant, secessio ab Ecclesia à quoquam fuerit attentata; cùm quisque sanæ mentis clare perspexisset, improbos antistitum mores integritati sanctitatique doctrinæ nil quidquam posse officere.

6. Num & Concilia celebrata?

Cùm nulla hoc seculo exorta sit hæresis, nullo eum in finem Concilio Oecumenico opus erat; plures tamen Synodi *particulares* ad instaurandam morum disciplinam in Germania præsertim celebratæ fuerunt, Confluentiæ nempe, Treviris Erfordiæ, Ingelhemii, & Augustæ Vindelicorum.

7. Quid de sacris ritibus memorandum?

Joannes XIII. campanas solemni consecratione sacro usui dedicare cœpit, cujusdam è Cœlitibus nomine imposito: Joannes XV. verò Romæ in Concilio Lateranensi A. 993. S. Udalricum Episcopum Augustanum ritu publico & solemni edit que etiam diplomate seu Bulla ut vocant, *Canonizationis*, quorum neutrum antea usitatum Sanctorum fastis adscripsit.

8. *Num disciplina Monastica etiam tum viguit?*

1. Ineunte hoc seculo Ordo Cluniacensis, tot virorum sanctitate illustrium seminarium, à Bernone Abbate in pago Cluniaco fundari cœptum, S. Benedicti disciplinam paulatim, ut fit, collabescentem, feliciter instauravit. 2. Eodem hoc seculo vergente S. Romualdus Abbas Ordinem Camaldulensium instituit, additis Regulæ S. Benedicti peculiaribus quibusdam statutis.

9. *Num*

9. *Num etiam ferreo hoc obſcuroque ſeculo fuere, qui ſanctitate & doctrina inclaruerint?*

Imò vix aliud ſeculum tot Sanctis utriusq; ſexus, regia etiam dignitate fulgentibus, illuſtratum eſt. Nam ut taceam Orientis juxtà & Occidentis Imperatores pientiſſimos, Sedique Apoſtolicæ addictiſſimos, Robertum item Galliæ Regem, miraculis clarum, ſanctitate eminuêre Edvardus II. Angliæ, Olav9 Norvegiæ, Stephanus Hungariæ, Wenceslaus Bohemiæ Rex, Henricus Bavariæ Dux, poſtea Imperator, cum Cunigunde Virginea ſua conjuge, Mathildis Othonis M. mater cum Editha prima, & Adelhaide altera ejuſdem conjuge, Bruno Archiepiſcopus Colonienſis Othonis M. frater germanus, Colomanus regio Scotorum ſangvine ortus, Editha Edgari Angliæ Regis ſoror, Virginum ſacrarum Antiſtita, Pelagius regiæ itidem ſtirpis adoleſcens, qui atrociſſima ſubire tormenta maluit, quàm integritatis pudicitiæque detrimentum facere, Epiſcopi item Adalbertus Pragenſis Ruthenorum Apoſtolus, Bernardus Hildeſienſis, Conradus Conſtantienſis, Dunſtanus Cantuarienſis, Heribertus Colonienſis, Lambertus Ultrajectenſis, Oſwaldus Vigornienſis, Siſenandus Compoſtellanus, Udalricus Auguſtanus, Wolfangus Ratisbonenſis, Elias & Quarinus Valleſiæ Comites & Epiſcopi: Romualdus ejusque diſcipuli Joannes, Benedictus & Bonifaci9 Imperatori Othoni III. ſangvine juncti, Pruſſorum & Slavorum Apoſtolus, Berno, Odo,

do, Ademarus, Majolus & Odilo Abbates Cluniacenſes.

Doctrina celebriores fuêre Regino Abbas Prumienſis, Leo Imperator, *Sapiens* cognominatus, Simeon Metaphraſtes, SS. Odo & Odilo, Atto Vercellenſis Epiſcopus, Luitprandus Epiſcopus Cremonenſis, cujus hiſtoriam Germanus quidam ſcriptor anonymus continuâſſe videtur &c.

10. Num hoc quoque ſeculum illuſtratum eſt miraculis?

Hæc nec iſto, nec alio unquam ſeculo defuêre. 1. Dynaſta quidam dæmoniacus ex Othonis M comitatu Romæ ſolo vinculorum Petri contactu à ſtygio obſeſſore extemplo manumiſſus eſt. 2. In Synodo Vintonienſi Chriſti è cruce pendentis effigies ad S Dunſtani preces pro Monachis probis contra improbos Clericos diſertè loqui audita eſt. 3. SS. Udalricus, Conradus, Majolus, Nilus Abbas &c. claruêre miraculis, quorum complura Regino & Frodoardus Abbas, aliique literis mandârunt.

Seculum XI.

1. Quinam Pontifices Eccleſiæ gubernacula tenuêre?

142. Joannes XVII. ad ann. 1003.

Reliquos vide in fine Opuſculi.

2. Quid de Pontificibus iſtis peculiari notatione dignum occurrit?

Magna omnes laude Eccleſiam gubernârunt, excepto Benedicto IX. parentis ſui Alberici Comitis

mitis Tusculani factione & tyrannide in sedem Apostolicam intruso, qui licét tunc duodecim, vel ex aliorum sententia decem & octo, aut viginti esset annorum, summoque sacerdotio ob mores perversos prorsus indignus, majoris tamen mali metu ab Ecclesia est receptus. Joannem tametsi auctoritate ut creditur, & largitionibus Comitum Tusculanorum in Benedicti VIII. fratris sui germani locum sit subrogatus, vitam mirificè ab omnibus laudatam duxisse *Stella* testatur. Joannes re ipsa XVI. appellatus est XVII. ea de causa ne edicta & bullæ Joannis XVI. Antipapæ nomine sparsæ, cum veri hujus Pontificis actis confunderentur. Gregorius VI. Joannes Gratianus anteà dictus, Pontifex laudatissimus, falso à quibusdam Simoniæ accusatur; nam licèt Benedictum IX. pactâ pecuniæ summâ permoverit, ut Pontificatu se abdicaret, id tamen non alia egit mente, quàm ut Ecclesia dignum exinde Pontificem liberè posset eligere. Nec alium Romani digniorem esse judicabant, quàm Joannem hunc, qui Gregorii VI. nomine assumpto, postea in Synodo Sutrina Pontificatum pacis studio sponte cessit Clementi II. Saxoni, Bambergensi priùs Episcopo, cui successit Damasus II. Bavarus, Episcopus antea Brixinensis, & huic S. Leo IX. Aliata è Comitum Dagsburgicorum prosapia, indeque Victor II. Svevus è Comitum Calvensium stemmate Episcopus Eystettensis; post hunc verò Stephanus X. è Lotharingiæ Ducibus, sanctitate & miraculis clarus, per-

inde

nde atque Alexander II. sanctissimus itidem Pontifex. Verùm inter hos omnes & doctrina, & sanctitate, multis ante ac post mortem miraculis testatâ, eminuit S. Gregorius VII. Hildebrandus antea dictus, quem scriptores coævi summis efferunt laudibus, si Bennonem, à Guiberto Antipapa Cardinalem creatum, excipias, cujus impudentissima mendacia, & enormes calumnias tanquam oracula suscipiunt hæretici, hisque nihilo meliores pseudopolitici, qui *nec Deum timent, nec homines reverentur*, sed jura omnia divina æquè ac humana susque deque habent, dummodo iis placeant, quorum nutum prœ divinis adeò mandatis, Religione & conscientia observant, adorantque.

3. Quis status Ecclesiæ ?

Hanc acerbissimè afflixit Henricus IV. non Imperator, hoc est *Advocatus & Defensor*, sed hostis Ecclesiæ infestissimus prorsùs appellandus, utpote qui sacros ejus proventus, ipsumque adeò Christi patrimonium tum in luxum & luxuriam, tum in stipendia suorum militum, quos ad Ecclesiam oppugnandam conduxit, immani sacrilegio profudit; Sacerdotes & Episcopos effrenatæ suæ libidini, iteratæ perfidiæ, perjuriis, sacrilegiis, crudelitati planè inauditæ repugnantes aut conjecit in vincula, aut trucidavit, substitutis in eorum locum hominibus profligatissimis, qui vel plus pecuniæ repræsentabant, vel immaniore odio furoreque insectabantur Christi Vicarium. Verùm his, aliisque pluribus machinationibus prævalere

haud poterant *inferorum Portæ* sed invicta prorsus tum aliorum Pontificum, tum præcipue S. Gregorii VII. *instantis opportunè, importunè, arguentis, obsecrantis, increpantis &c.* virtute & constantia restituta Ecclesiastica disciplina, sacrilega Clericorum incontinentia, rerumque sacrarum nundinatio coërcita, jura, immunitasque Ecclesiastica strenuè vindicata, impii Henrici asseclæ, consiliarii, scelerumque socii horribili morte à DEO mulctati, Henricus ipse ab omnibus tandem destitutus, Imperiique insignibus à suomet filio exutus, ac brevi post repentina morte ad DEI tribunal citatus est, cujus utpote Ecclesiæ diris etiam tum devoti cadaver quinque ipsos annos insepultum horrori omnibus & execrationi fuit, dum è contrario sacrum S. Gregorii VII. corpus annis ab obitu quingentis integrum omnino & incorruptum est repertum, DEO Vicarii sui longè fidelissimi sanctitatem pluribus miraculis toti orbi testificante.

4. *Quibusnam regionibus Evangelii lux oborta est?*

Universum Hungariæ Regnum S. Stephani Regis operâ planè Apostolicâ Christo, ejusque Ecclesiæ subjicitur. 2. Religio orthodoxa sacris expeditionibus hoc seculo in Palæstinam susceptis, ibidem cœpit reflorescere.

5. *Quinam hæretici contra Ecclesiam insurrexêre?*

1. Agmen ducit Berengarius Andegavensis Ecclesiæ Archidiaconus, Sacramentariorum antesignanus,

gnanus, qui veram Christi in Eucharistia præsentiam primus negare ausus est: ad extremum tamen resipuit, moriensque suarum quidem noxarum veniam à DEI clementia sperare se dixit ob peractam ritè pœnitentiam; vehementer tamen divinam formidare justitiam ob peccata aliena, eosque præcipuè, quos perversâ suâ doctrinâ in hæresim induxisset. 4. Michaël Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus hominum superbissimus, dum Pontifice Romano, quem tamen solum Christus ipse supremum ovium suarum omniũ pastorem constituit, inferior esse recusabat, impii Phocii schisma & divortium cum Latina Ecclesia instauravit. Utque nequitiæ suæ tegumentum quæreret, varios eidem, sed immeritò prorsus, exprobravit errores, cùm funesti illius schismatis potissima, si non unica causa fuerit superbia, hæreseon omnium mater, nutrix & gerula.

6. Quid in Conciliis potissimè decretum est?

1. Berengarii hæresis pluribus in Conciliis damnata est. 2. Plures itidem Synodi celebratæ ad restituendam disciplinam Ecclesiasticam, exterminandam sacrorum nundinationem, & sacrilegum concubinatum. 3. Jus eligendi Pontificem solis Cardinalibus assertum à Nicolao II. in Concilio Romano A. 1059.

7. Qui ritus inducti?

1. Pœnitentiæ publicæ, eæque austeræ admodũ ac diuturnæ, prioribus seculis ad expiandas noxas irrogari solitæ, in sacras subinde expeditiones, pi-

asque peregrinationes commutatæ fuêre. 2. Insigne militum ad sacrum bellum Urbani II. auspiciis proficiscentium crux erat purpurea dextro humero assuta. 3. *Corporalia*, ut vocant, sive sacra lintea restinguendis incendiis exoptato eventu fuêre adhibita. 4. Solennem omnium pia morte defunctorum memoriam die 2. Novembris à S. Odilone Abbate Cluniacensi in suis primum monasteriis fieri cœptam, vel instauratam, universa dein Ecclesia faciendam curavit.

8. *Qui Ordines Religiosi instituti?*

1. S. Joannes Gualbertus, Nobilis Florentinus, Ordinem à Valle umbrosa, ubi primum Monasterium exstruxit, nuncupatum condidit. 2. S. Stephanus, Nobilis Gallus, instituit Ordinem austeræ admodum disciplinæ, cui Grandimontium, à Monachis post S. Stephani obitum divino monitu incoli cœptum, nomen hoc indidit. 3. S. Bruno Coloniæ Agrippinæ à parentibus genere ac virtute claris oriundus, cum sex sociis, in rupem altissimam & asperrimam, cui Carthusiæ nomen, secedens, prima Ordinis sui fundamenta A. 1086 jecit. 4. Occasione ignis sacri in Gallia vehementer grassantis, à Gastone Nobili Gallo instituta est pia primùm Congregatio, quæ deinde in Ordinem Canonicorum Regularium S. Antonii coaluit, quorum officium est operam suam prædicto morbo laborantibus commodare. 5. S. Robertus Abbas Molismensis Ordinem, cui á Cistertio, solitario Burgundiæ loco nomen, instituit, à S. dein Bernardo mirificè propagatum.

9. *Quinam sanctitate & doctrinâ floruêre?*

S. Abo Floriacensis Abbas, S Emericus S. Stephani Regis Hungariæ filius, S. Edvardus III. Angliæ Rex, S. Benno Episcopus Misnensis, S. Stanislaus Episcopus Cracoviensis, S. Canutus Daniæ Rex, S. Margarita Scotiæ Regina &c.

Doctrinâ excelluère S. Bruno Episcopus Herbipolitanus, Conradi II. Imperatoris consangvineus, Berno Abbas Augiæ divitis, quam insigni quoque virtute, miraq; eruditione illustravit B. Hermanus *Contractus* è Comitum Veringensium prosapia, auctor Antiphonæ *Salve Regina* &c. B Petrus Damiani Cardinalis, Episcopus Ostiensis, Lambertus Schafnaburgensis, Monasterii Hischfeldensis, & Marianus Scotus Fuldensis Monachus, Paulus Bernriedensis Canonicus Regularis, Gerochus Præpositus Reicherspergensis in Bavaria, Bertholdus Presbyter Constantiensis, qui Hermani Contracti Chronicon continuavit &c.

10. *Quibus miraculis Ecclesia illustrata est?*

1. S. Stanislaus Episcopus Cracoviensis virum Petrum nomine triennio abhinc demortuum multis spectantibus ad vitã revocavit, secumq; ad Regium tribunal deduxit, ut de agro, quem pro sua quondam Ecclesia ab ipso emerat, testimonium publicè diceret. 2. Ad S. Guntheri Anachoretæ preces pavo assatus repentè avolat è mensa S. Stephani Hungariæ Regis. Miraculis celebriores fuêre SS. Benno & Stanislaus Episcopi, S. Joannes Gualbertus, & S. Stephanus, cujus crebra miracula

Grandimontii patrata cùm ingentem hominum frequentiam attraxissent, Petrus Abbas amore sacræ solitudinis Sancto huic demissè supplicavit, imo & præcepit, patrandis ut miraculis desisteret. Morem gessit Sanctus, quoad Petrus superstes fuit; hoc verò mortuo, novis illico maximisq; ut antea, prodigiis inclaruit. Plura ævi sui miracula recensent B. Petrus Damiani, Adamus Bremensis, Glaber, aliique.

Seculum XII.

1. Quo ordine Romani Pontifices sibi successêre?

159. Paschalis II. ad ann. 1118.

Reliquos vide in fine Opusculi.

2. Quid de hisce Pontificibus Historici memorant?

Seduli quisque pastoris munia strenuè obierat. Diuturna porrò controversia Pontifices inter & Henricos IV. & V. de Ecclesiasticis Imperii Ordinibus in clientelam suscipiendis, à Callisto II. composita tandem ac dirempta est. Eugenius III. S. Bernardi discipulus, in summo illo dignitatis fastigio positus, nihil admodum de monasticæ disciplinæ asperitate remisit, miraculis post obitum clarus. Alexander III. laudatissimus itidem Pontifex, Imperatoris Friderici Ænobarbi, triumque ejusdem Antipaparum, qui infelici omnes morte periêre, molitionibus fortissimè se opposuit.

3. Quis Ecclesiæ status?

Triplici hæc scissa est schismate. Primum excitavit Henricus V. Imperator, qui Gelasio II. legitimo Pontifice repudiato, Mauritium Burdinum intruden-

trudendum curavit, Gregorii VIII. nomen sibi arrogantem. Secundi schismatis auctor fuit Petrus Leonis homo nequissimus versutissimusque origine Judæus, qui artibus pessimis in S. Petri legitimiq; ejus Successoris Innocentii II. sedem se ipse intrusit, Anacleti II. nomen usurpans. Tertium schisma induxit fovitq; Fridericus I. Imperator, qui ternos Antipapas, continenter sublectos, omnibus opibus viribusq; adjuvit. Verùm uti aliàs semper, ita hic quoque gloriosè triumphavit Ecclesia, ac præcipuè quidem de Friderico I. Imperatore, qui ex præpotente Ecclesiæ oppugnatore in strenuum ejusdem oppugnatorem mutatus, ingenti cum exercitu in Palæstinam contendit, Hierosolymam recuperaturus. Plures hujusmodi expeditiones hoc seculo sunt susceptæ eventu tamen minus prospero ob Christianorum maximè flagitia & discordias.

4. *Quæ regiones Christiana sacra susceperet?*

Pomeraniæ Ducatum S. Otho Episcopus Bambergensis è Comitum Andecensium item mare sub annum 1109. Livoniam verò S. Meinardus Christo adjunxit primus gentis illius Episcopus A. 1186. inauguratus.

5. *Quæ hæreseon lolia progerminârunt?*

1. Petrus de Bruis & Henricus ex Monacho infamis Apostata, Lutheri & Calvini prodromi. rejiciebant Missæ sacrificium, cultum & invocationem Sanctorum, preces pro defunctis, baptismum parvulorum, traditiones Sanctorumq; Patrum monu-

menta &c. Petrus in Gallia infami rogo impositꝰ est, Henricus verò in perpetuam datus custodiā, ne plures corrumperet. 2. Waldenses à Petro Waldone cive Lugdunensi nomen sortiti, damnabant cultum imaginum, confessionem auricularem, extremam Unctionem, Indulgentias, Purgatorium &c. In hos Hæreticos, à pluribus conciliis damnatos, gravissimis pœnis animadverterunt Imperator, Galliæq; & Aragonum Reges. 3. Albigenses, viperea Waldensium progenies, novos prioribus errores addebant, ridebantq; omnes ritus ac ceremonias Ecclesiæ, quam speluncam latronum, ac meretricem Babylonicam appellabant.

6. *Quid in Conciliis actum?*

Tria hoc seculo Concilia Oecumenica Romæ in Lateranensi Basilica celebrata fuêre. In primo, cui ampliùs trecenti Episcopi interfuêre, actum de Sacerdotii & Imperii concordia ab Henrico IV. & V. aliquamdiu disturbata: de instauranda item morum disciplina, sacroq; bello continuando. In secundo damnati à mille ferè Episcopis Petrobusiani, & Arnaldus Brixiensis, qui aliquot pòst annis vivus est exustus: rescissa quoque acta omnia Anacleti Antipapæ &c. In tertio, cui trecenti aderant Episcopi; diris devovebantur Waldenses Hæretici in varias sectas divisi, multaque alia salubriter sanciebantur. Præter tria hæc generalia, ad quinquaginta insuper Concilia *particularia* hoc seculo celebrata fuêre tum contra

grassan-

grassantes hæreses, tum ad tollenda schismata, morumque corruptelas.

7. Qui ritus recepti fuere?

1. Illibata Virginis Deiparæ conceptio ab Ecclesia Lugdunensi A 1136. solemni ritu celebrari cœpta. 2. Pœnitentiæ publicæ minùs semper minùsque frequentari, inque alia opera pia commutari solebant. 3. Mos, quo profani etiam homines meritorum religiosæ cujusdam familiæ participes fiebant, cœpit invalescere.

8. Qui novi Ordines Religiosi?

Hoc seculo occasione sacrarum expeditionum tres Equitum Ordines insigniores cœperunt efflorescere, nempe 1. Melitensium sub annum 1104. cujus primus Magister fuit B. Gerardus. 2. Templariorum, á vicina templo Hierosolymitano habitatione nomen ducentium A. 1118. 3, Teutonicorum A. 1191. S. Norbertus A. 1120. Ordinem Canonicorum Regularium, cui à Præmonstrato, deserto olim Galliæ loco nomen, instituit. De Ordinis porrò Gvilielmitarum auctore variant scriptores.

9. Quinam sanctitate & doctrina celebriores?

S. Anselmus Episcopus Cantuariensis, S. Norbertus Tanchelmi hæreseos exterminator, S. Bernardus Ordinis Cistertiensis totiusq́, Ecclesiæ ingens lumen & columen, Rupertus Abbas Tuitiensis Ord: S. Benedicti, Ven. Petrus Abbas Cluniacensis, Hugo & Richardus de S. Victore, uterqúe Canonic: Reg: S. Augustini, Guerricus Abbas Ci-

sterti-

ftertienf. Otho Epifcopus Frifingenfis, Petrus Lombardus Epifcop. Parif. &c.

10. Quibus miraculis Religio orthodoxa confirmata eft?

Ingens ægrotantium multitudo guftatis panibus, quos S. Bernardus Crucis figno luftraverat, repente convaluit, uti ipfe palam prænunciârat. Complura alia miracula edidêre SS. Bernardus, Norbertus, Malachias, Ifidorus agricola &c. Literis verò confignârunt Petrus Abbas Cluniacenfis, Sigebertus Gemblacenfis &c.

Seculum XIII.

1. Quinam Christi in terris Vicarii?

175. Innocentius III. ad ann. 1216.

Reliquos vide in fine Opufculi.

2. Qua laude hi fuum obiere munus?

Omnes ad commune Ecclefiæ bonum graviter intenti, vitæ erant probatiffimæ, conftantiaque in extirpandis hærefibus morumq; corruptelis prorfus invictæ. Innocentius III. ex Signiæ Comitibus, Pontifex verè Optimus Maximus, à fupremis Chriftiani orbis capitibus maximopere fufcipiebatur. Innocentius IV. virtute atque eruditione eximius, ad declinandas Friderici II. infidias in Galliam fe recipere coactus eft. Martinus re ipfa II. fed à plerisque, qui duos Marinos Pontifices cum Martinis confundunt, IV. dictus, multis à morte miraculis claruit. S. Cæleftinus V. Ponti-

icatu, quem quinque gelsit menfibus, fponte fe
abdicavit, non Card. Benedicti Cajetani ejus poftea
ucceſſoris inſtinctu, fed, uti teſtes omni exceptio-
ne majores affeverant, amore facræ folitudinis, cui
à puero aſſveverat. Bonifacium VIII. libertatis,
uriumq; Eccleſiaſticorum aſſertorem ac vindicem
trenuiſſimum, quem idcirco Philippi IV, Galliæ
Regis aſſeclæ & aſſentatores atrociſſimis calumniis
proſcindunt, omnis ſceleris ſuſpicione abſolvunt
um ſcriptores coævi, neutri parti obnoxii, tum
ejuſdem Pontificis cadaver annis ab obitu trecentis
A. 1605. 15. Octobr. Româ, imò & Eccleſia univer-
ſa applaudente, omnis corruptionis expers inven-
um, tum demum pœnæ graviſſimæ Philippo à
DEO ob Vicarium ſuum tam indignè habitum ir-
rogatæ, ut in opuſculo IV. innuimus.

3. *Quis Eccleſiæ Status ?*

Innocentio IV. quinque graviſſimas, quibuscum
Eccleſia tunc conflictabatur, calamitates cum 5.
Chriſti vulneribus comparabat. Has inter prima
erat Græcorum ſchiſma. 2. Hæreſes per Galliam
potiſſimùm graſſantes. 3. Terræ ſanctæ amiſſio.
4. Friderici II. Imperatoris Eccleſiam, cujus *Advo-
catus* ac *Defenſor* ex officio eſſe debuerat, multi-
fariè vexantis violentia. 5. Tartarorum in terras
Chriſtianorum irruptio. Atq; his aliisq; machi-
nis pœne innumeris Eccleſiæ arx oppugnari qui-
dem, at expugnari nunquam poteſt. Hac ſpe fi-
duciaq; animatus Simon Monfortius A. 1213. cum
mille duntaxat peditibus, equitibusq, octingentis

cen-

centum millium hæreticorum exercitum ad urb
Tolosam penitus profligavit, ex suis nonnisi unic
equite & octo peditibus desideratis.

4. *Quæ regiones ab idolorum cultu ad Religionem Christianam sunt traductæ?*

Viri Apostolici complures è religiosa S. Dom
nici & S. Francisci familia à Sede Apostolica i
Græciam, Norwegiam, Bulgariam, Armeniam, I
diam, Æthiopiam, Tartariam missi paganos plur
mos Christianis sacris initiârunt. Honorius IV. A
banensis etiam tum Episcopus in Norwegia Chr
sti Evangelium promulgavit. Prussiam Equit
Teutonici ab ethnica superstitione purgârunt.

5. *Quas suppetias prioribus hæreticis Orcus submisit?*

In Gallia potissium magnas animarum strag
edidit Albigensium hæresis, quam præ cæteris
Dominicus miraculis & gladio spiritus, Monfo
tius verò, dux belli sacri ab Innocentio III. indić
vi armorum exterminatum ibant. In Italia A. 12
pia flagris se cædendi consvetudo in superstiti
nem tandem, imò & hæresim, plures dein regi
nes hoc & sequenti seculo pervagata, degenerav

6. *Quid in Conciliis definitum est?*

Præter alias Synodos, quæ contra hæreses, m
rumq; corruptelas pluribus in locis cogebantu
tria hoc quoque seculo Concilia Oecumenica c
lebrata fuêre, nempe A. 1215. Lateranense IV. i
ter generalia XII. præsidente Innocentio III. u
damnati Albigenses, aliique hæretici: cùmque p
mus

nus ille Christianorum fervor Confessionis & Eucharistiæ Sacramenta frequentandi magis semper magisq; refrigesceret, lege cautum est, ut quisq; semel saltem quotannis de peccatis confiteatur, mensæq; Eucharisticæ circa festa Paschalia accumbat. A. 1245. in Concilio Lugdunensi I. & Generali XIII præside Innocentio IV. Fridericus II. Imperator Ecclesiæ communione repulsus, decretaq; insuper est expeditio in terram sanctam ductore S. Ludovico Galliæ Rege. A 1274. in Lugdunensi II. Generali XIV præsidente itidem Papa Gregorio X. redintegrata Græcam inter & Latinam Ecclesiam concordia, quæ tamen haud diu viguit: actum quoque de recuperanda Palæstina &c.

7. *Qui sacri ritus inducti?*

1. Urbanus IV, 1264 solemnitatem SS. Corporis Christi quotannis in Ecclesia universa ritu solemni celebrandam instituit, cui occasionem dedit tùm ingens illud miraculum, quo species Sacramentales in sangvinem versæ, tum B. Juliana Virgo Deo dicata, quæ hac de re jam ante divinitus edocta est. 2. Ad Virginem DEI Param Archangeli verbis consalutandam populus quotidiano æris campani pulsu excitatur. 3. S. Dominicus auctor est Rosarii, quod pietatis exercitium Deiparæ acceptissimum, hominibus utilissimum. 4. Innocentius IV. Cardinales purpurei galeri insignibus condecoravit, ut memores essent fundendi, si quando opus foret, sangvinis quoque pro Ecclesiæ bono. In Concilio Lugdunensi II. accuratè præ-

scribi-

scribitur, quid in *Conclavi* pro eligendo Pontifice observandum. 6. Bonifacius VIII. tiaram Pontificiam duplici coronamento circumdat, cui postea tertium addidit Urbanus V. non ostentationis sed pietatis ergo. 7. Austera admodum jejunii lex posterioribus seculis plurimùm mitigata est. Nam duodecim seculis præcedentibus non solùm à piscibus & lacticiniis, sed à vino quoq; & oleo, ac condimentis, sale excepto, abstinendum erat, solaq; *Xerophagia* sive esus aridorum, & quidem toto verni jejunii tempore non nisi post sextam à meridie horam permissus erat. Hoc tamen seculo consvetudo invaluit, ut post horam tertiam pomeridianam corporibus cibus indulgeretur. 8. Sacræ *Inquisitionis Officium* contra hæreticam pravitatem S. Dominico, Albigensium hæreticorum malleo, demandatur. Bonifacius VIII. annum *Jubileum* 1300. solemniore ritu celebrandum induxit. 10. Iis, qui sacro bello nomen dabant, peculiares *Indulgentiæ* sunt concessæ.

8. Quæ Religiosæ Familiæ institutæ?

1. Ordinem SS. Trinitatis redemptionis captivorum à S. Joanne de Matha & S. Felice Valesio institutum Innocentius III. A. 1198. vel certe A. 1209. confirmavit. 2. S. Franciscus Assisias A. 1208. Ordinis sui, dein ab Innocentio III. & Honorio III. approbati, fundamenta jecit. 3. Ordinem Prædicatorum auctore S. Dominico confirmavit Honorius III. A. 1216. 4. Carmelitis circa montem Carmelum dispersim degentibus B. Alberti Patriarcha Hiero-

Hierosolymitanus sub annum 1209 regulam conscripsit, ab Honorio III. A. 1226. approbatam. 5. Ordinis B. Mariæ de Mercede redemptionis captivorum auctor est S. Petrus Nolascus, adjutoribus S. Raymundo Pennafortio & Jacobo I. Arragonum Rege. 6. Ordo Servorum B. V. Mariæ A. 1233 originem duxit à septem nobilibus Florentinis. 7. Alexander IV. plures Eremitarum congregationes A. 1256. in unum corpus & Ordinem redegit S. Augustini regulam sub uno capite profitentem. 8. Cœlestini Cœlestinum V. Papam, Silvestrini B. Silvestrum Guzolinum, Eremitæ S. Pauli primi Anachoretæ Eusebium Strigonio Hungariæ urbe oriundum, Religiosæ familiæ suæ ducē & parentem venerantur: hic tamen Ordo Paulinorum sequenti primum seculo à Joanne XXII. confirmatus est A. 1328.

9. *Qui celebratiores Sancti, & Doctores?*

Præter Ordinum conditores jam memoratos S. Antonius Patavinus, S. Engelbertus Archiepiscopus Coloniensis, S. Edmundus Archiepiscopus Cantuariensis, S. Hyacinthus, S. Thomas Aquinas, S. Bonaventura, S. Ludovicus Galliæ Rex, B. Albertus M, S. Clara, S. Elisabetha, S. Hedvigis, S. Margarita Cortonensis &c.

10. *Quibus miraculis orthodoxa Religio illustrata est?*

Præter plurima, maximaque miracula à SS. Dominico, Francisco, Antonio, Hyacintho, aliisque patrata, atque à S. Bonaventura, Jacobo de Vitri-

aco,

aco, Thoma Cantipratano &c. literis mandata, notissimum est illud de mulo tres ipsos dies impasto, non ad pabulum ab hæretico Bonovillo porrectũ, sed ad Eucharistiam à S. Antonio Patavino monstratam accurrente, demissoq; eam capite ac flexis poplitibus adorante. Item de schedula, in quam S. Dominicus Fidei Catholicæ capita retulit, ab hæreticis Albigensibus semel, iterum ac tertiò in ignem conjecta, semperque illæsa.

Seculum XIV.

1. *Qui Pontifices rexere Ecclesiam?*

193. Benedictus XI. ad ann. 1304.

Reliquos vide in fine Opusculi.

2. *Quid de his Pontificibus summatim dicendum?*

Omnes doctrinâ zelôque animarum, plerique etiam vitæ sanctimoniâ præstabant, quos inter Benedictus XI. [re ipsa X. cùm Joannes Mincius. qui A. 1058. per menses aliquot Pontificatũ, nomenq; Benedicti X. sibi arrogabat, Pseudopapa fuerit) pluribus à morte miraculis claruit. Clementi tamen V. vitio vertitur, quod Philippi IV. Galliæ Regis inductu sedem Pontificiam Româ Avenionem transtulerit, ubi annis ampliùs septuaginta, quos Itali cum captivitate Babylonica comparabant, Romani Pontifices quasi peregrè agebant, magno rei Christianæ, ipsiusq; adeò Galliæ detrimento. Statuerat quidem Urbanus V. sanctitate & miraculis clarus, sedem Pontificiam Romam trans-

ransferre, sed morte præreptus id negotii Grego-
io XI. successori suo, virtute pariter & doctrinâ
eximio, relinquere cogebatur. Huic ritè successit
Urbanus VI. Neapolitanus, qui, cùm esset justitiæ,
temperantiæ, aliarumque virtutum, ac disciplinæ
potissimùm Ecclesiasticæ observantissimus talesq;
prorsus esse vellet Cardinales suos omnes, horum
mores acriùs liberiùsq; redarguit. Unde exacer-
bati Cardinales præcipuè Gallicani, secessione fa-
cta, Antipapam creant, Clementem VII. dictum,
secumq; Avenionem deducunt, tametsi Urbanum
VI. toto semestri coluerint ut verum Papam. At-
que hoc pacto schisma conflatum est omnium te-
terrimum quadraginta fermè annorum, Pontifici-
bus aliis Romæ, aliis Avenione sedentibus. Mor-
tuo Urbano VI. Romæ surrogatus Bonifacius IX.
Clementi verò Pseudopapæ Avenione suppositus
est Petrus de Luna, qui Benedicti XIII. nomen u-
surpans, triginta ipsos annos in schismate obstina-
tè perstitit, eiq; immortuus est

3. Quis status Ecclesiæ?

Cùm Orcus omnibꝰ suis machinis ad eam usq
diem adhibitis nil quidquam profecisset, novos
longèq; vehementiores tentavit assultus excitando
schisma multò exitiosissimum, ex quo lites, discor-
diæ, factiones, animorum dissensiones, malaque
innumera, & quod caput est, morum ac discipli-
næ Ecclesiasticæ corruptela ingens; ut proinde, si
humanæ rationis trutina rem examinemus, Eccle-
sia, uti antea sæpiùs, ita hoc maximè tempore

 ever-

everti debuisset, nisi ædificata esset *supra Petram* prorsus immobilem.

4. *Quæ gentes Christianis sacris initiatæ?*

1. Jagello Lithvaniæ Dux sacro fonte lustratus Lithvanos & Samogitas verbo & exemplo ad Christum perducit. 2. Bosnia cum Principe Stephano Christo subjicitur, uti & regnum Congense in Africa.

5. *Quinam lupi hæretici insidiati potissimùm sunt Christi ovili?*

Joannes Wicleffus Sacedos Anglus, homo arrogans & ambitiosus, Vigorniensi Episcopatu non impetrato, in rabiem actus, virus suum in Christi Vicarium & Ecclesiam sub annum 1372. cœpit evomere. Hæresiarcha hic, Lutheri & Calvini prodromus, impugnabat *transsubstantiationem*, veramque Christi in Eucharistia præsentiam, sacrosanctum Missæ sacrificium, hierarchiam Ecclesiasticam, liberum hominis arbitrium, invocationem Sanctorum, venerationem imaginum, indulgentias, vota monastica &c. Ejus ossa ex Concilii Constantiensis decreto refossa, exustaq; sunt, cineribꝰ in profluentem abjectis.

6. *Quæ Concilia coacta?*

Præter *particularia*, generale XV. Viennæ Allobrogum præsidente Clemente V. A. 1311. celebratū est, ubi Beguardi, Beguini, Fraticelli, aliiq; hæretici condemnati, actumq; denuò de expeditione in terram sanctam. Extinctus item Ordo Templariorum, criminibus manifestis convictorum, horumq;

tumq; fortunæ Equitibus Melitensibus partem maximam attributæ. Clementem porro V. Regemq; Franciæ à Templariorum Magistro, dum rogo imponeretur, ad DEI tribunal citatos fuisse, fabula est.

7. *Qui sacri ritus introducti fuêre?*

1. Pompa solemnis, publicaq; supplicatio Festo Theophoriæ ab universo orbe Christiano DEO Eucharistico adornanda decernitur in Concilio Viennensi. 2. Clemens VI. Jubilæum annis quinquagenis, Urbanus VI. verò ternis ac tricenis circumscripsit &c.

8. *Qui sacrorum Ordinum conditores?*

1. Ordinem Olivetanum instituit B. Bernardus Ptolemæus Nobilis Senensis. 2 Ordinem veró Jesuatorum B. Joannes Columbinus, à Clemente IX. postea extinctum. 3. S. Birgitta Vidua illustrissimis orta natalibus initium fecit Ordini à S. Salvatore nuncupato, Regula à Christo ipso accepta, virisq; simul ac mulieribus data, quibus omnibus præesset Antistita. 4. Ordinem Hieronymitarum à Petro Ferdinando institutum Gregorius XI. A, 1373. confirmavit. Eremitæ S. Hieronymi B. Petrum Gambacurtam fundatorem venerantur.

9. *Quinam doctrinâ & miraculis eminuêre?*

Sanctitate S. Ivo, pauperum Advocatus, S. Nicolaus Tolentinus, S. Agnes de Monte Politiano, S. Elzearius Comes, S. Rochus, S. Elisabeth, Lusitaniæ Regina, S. Catharina Senensis, S. Birgitta, S. Catharina Svecica, S. Birgittæ filia &c.

Doctrinâ præstabant Joannes Duns Scotus, Nicolaus de Lyra, Joannes Taulerus, Gregorius Ariminensis, Franciscus Petrarcha Ruisbrokius &c.

10. *Quæ edita miracula?*

1. Amstelodami An. 1345. Eucharistia in ignem projecta totam noctem omnino illæsa permansit quam exinde in templum translatam magna omnes veneratione prosequebantur. 2. Prope Cracoviam Hostiæ consecratæ à sacrilegis templi spoliatoribus in paludem projectæ cœlesti luce diu noctuq; circumfulsêre. Ad cujus rei perennem memoriam, Casimirus II. Poloniæ Rex magnificam ibidem basilicam excitandam curavit A. 1347. S. Ivo, S. Nicolaus Tolentinus, S. Rochus, qui pestifera lue infectos solo crucis signo confestim persanabat, multiq; alii claruêre miraculis, quorum complura B. Raymundus Capuanus, Joannes Villanus &c. in acta retulére.

Seculum XV.

1. *Quo ordine Romani Pontifices successêre?*

203. Innocentius VII. ad ann. 1406.

Reliquos vide in fine Opusculi.

2. *Quid de his generatim commemorandum?*

Innocentius VII. doctrina non minùs quàm vitæ integritate præstabat, uti & ejusdem successor Gregorius XII. qui Pontificatu cessurum se recepit, si id ipsum Petrus de Luna sive Benedict. XIII. Antipapa præstitisset. Verùm cùm hic alia

ex aliis moras necteret, prætensi sui juris dignitatisq; ad mortem usque retinentissius, ac proinde ambo pro Papa se gererent, utriusque partis Cardinales Concilio Pisis coacto, exauctoratis Gregorio & Benedicto, novum creant Pontificem Alexandrum V. eo fastigio, vitaq; diuturniore longè dignissimum, cui post menses decem vitâ functo suffectus est Ludovici Siciliæ Regis commendatione Joannes XXIII, bello, quàm Pontificatui gerendo aptior. Hic urgente potissimùm Sigismũdo Cæsare Concilium Constantiense indixit, ubi communi omnium lætitia & acclamatione electꝰ est Martinus V. doctrina & virtute insignis, postquam Joanni XXIII. è fuga retracto, & Benedicto XIII. Pontificatus, quo Gregorius XII. se sponte abdicabat, est abrogatus. Martinus porrò V. ejꝰque successores magna cum laude rexêre Ecclesiam. Alexandrum tamen VI. alii deterioris, alii contra melioris notæ Pontificibus annumerant. Ante initum Pontificatum, in juventute vitam minùs castam duxisse, constat inter omnes. Sed & illud certum, non pauca ei vitia ab obtrectatoribus, quos inter primas fert Sannazarius, afficta fuisse. Neque tamen omnia, quæ de Alexandro VI. passim in vulgus sparguntur, inconsultè ac temerè conficta esse dixerim. Eundem non veneno, ut pleriq; opinantur, sed febri ex impuro infectoque aëre contracta, die septimo, quàm cœpit decumbere, Sacramentis Confessionis, Communionis & extremæ Unctionis ritè munitum decessisse,

Joannes Brocardi, testis auritus & oculatus, asseverat.

3. *Num optanda tandem pax & tranquillitas Ecclesiæ reddita?*

Electo Martino V. schisma penitus sublatum fuisset, nisi Alphonsus Aragoniæ Rex Petri Lunensis partes suscipere perrexisset, quo è vivis anno antipapatûs tricesimo, Christi 1424. erepto à duobus reliquis ejus factionis Cardinalibus Antipapa Clemens VIII. & ab hoc novi mox Cardinales sunt creati. Hi tamen unà cum pseudopapa quarto pòst anno Martino V. se submisêre. Hinc nonnulli memoratum schisma quinquaginta ipso annos durâsse perhibent. Ultimum, quo Ecclesia scindebatur, schisma excitatum est à Conciliabulo Basileensi, ubi A. 1439. ab Episcopis septem unoq; Cardinale Gallo & aliquot Theologis exauctoratus Eugenius IV. Pontifex laudatissimus, ejusque in locum suppositus Amadeus Sabaudiæ olim Dux, Felix V. appellatus, qui tamen pòst Eugeni IV. obitum sponte abdicavit. Jam inde à tempore illo nullus porrò Pseudopapa supremum sibi Sacerdotium arrogare est ausus.

4. *Quæ Ecclesiæ incrementa?*

1. Mauris ex tota Hispania ejectis, pristinus Ecclesiæ illi splendor est redditus. 2. In Concilio Florentino redintegrata quidem Græcæ cum Latina Ecclesia concordia, quæ tamen diuturna non fuit Constantinopolitanis mox ad genium suum reversis, qui cùm svave Christi ejusq; Vicarii jugum

detre-

detrectassent, inde ab A. 1453. quo à Machomete II. capta Constantinopolis, in hanc usque diem durissimum Turcicæ servitutis jugum subire coguntur.

5. *Qui pseudoprophetæ ab Orco emissi?*

Horum primipilus erat Joannes Hus, Sacerdos Bohemus, invidiâ, æmulatione, fastuq; turgens, qui Waldensium & Wicleffi hæreses recoxit, novisq; condivit erroribus adjutore Hieronymo Pragêsi & Petro Dresdensi, ob hæresim exulare jusso. Hic cùm Christi sangvinem sub vini quoq; specie à Laicis sumendum esse docuisset, in errorem induxit longè plurimos vini quam sangvinis Christi appetentiores, utpote quem sub unica panis specie orthodoxi, rebelles contrà Ecclesiæ filii sub neutra sumunt, sed Christum totum ejusq; gratiã prorsus amittunt; *quandoquidem*, S. Augustino teste, *neque fides, neque Sacramenta ullis, nisi in Ecclesiæ unitate persistentibus, sunt salutaria.* Hæresiarcha Hussius, DEO Ecclesiæ, & Cæsari rebellis A. 1415. annoq; sequenti Hieronymus Pragensis Constantiæ vivus est combustus. Quæ porrò sectarii fictè, pro more suo, & contumeliosè de fide publica Hussio à Cæsare data violataq; , de olore item anserem Hussiticum post annos centum subsecuturo, passim sparsêre in vulgus, germani, hoc est synceræ & antiquæ fidei scriptores pridem confutârunt.

6. *Quæ celebrata Concilia?*

1. Oecumenicum XVI. A. 1438. Ferrariæ in-

choatum quidem, sed peste ibidem grassante Florentiam, unde & appellationem traxit, translatū est. Præsedit huic ipse Pontifex Eugenius IV. præsentibus centum quinquaginta Episcopis cum Patriarcha Constantinopol. & Imperatore Græco Joanne Palæologo, ubi orthodoxa Ecclesiæ Latinæ doctrina contra Græcorum errores denuò constabilita est. 2. In Concilio Constantiensi damnatæ Wicleffi & Hussii hæreses; non tamen, uti Galli quidam opinantur, definitum est, Concilium esse suprà Papam: nam decreta Sessionis IV, & V, non nisi de Papa dubio, deq; tempore schismatis, quò plures pro Papa se gerunt, intelligenda esse plerıq; doctores existimant, atq; à Martino V. ea duntaxat, quæ ad fidei dogmata pertinent rata fuisse habita. 3. Concilium Basileense ritè quidem inchoatum, sed perperā continuatum nunquam approbavit Ecclesia. 4. Concilium Pisanum fueritne legitimum an secus, adhuc sub judice lis est.

7. Qui novi ritus vel consvetudines receptæ?

1. Paulus II. & Sixtus IV. Jubilæum quinto & vicesimo quovis anno celebrandum indixit. 2. Paulus item II. Cardinalibus vestes purpureas attribuit. 3. Callistus III. Festum Transfigurationis Domini ob insignem de Machomete II. A. 1455. ad Belgradum reportatam victoriam solemniore deinceps ritu celebrandum curavit. 4. Idem Pontifex constituit, ut populus meridie quoque æris campani pulsu admonitus, Virginem Deiparam quotidie salutaret, quam dein constitutionem Alexan-

lexander VI. renovavit. 5. Pactiones, quas *Concordata Germaniæ vocant*, initæ inter Nicolaum V. & Imperatorem Fridericum A. 1448.

8. *Qui Ordines instituti?*

1. Ordinem Minimorum à S. Francisco de Paula conditum, Sixtus IV. aliiq; exinde Pontifices confirmârunt. 2. Augustinianorum discalceatorū Ordini, à Sixto IV. approbato, Baptista Poggius A. 1474. initium dedit. 3. Ordo Annuntiatarum B. Mariæ institutus est à B. Joanna Ludovici XI. Galliæ Regis filia. 4. Philippus Bonus Burgundiæ & Brabantiæ Dux Ordinem Equestrem Velleris aurei in Deiparæ Virginis & S. Andreæ honorē, ad religionis orthodoxæ incrementum, recuperandasq; terras à Turcis ereptas, instituit A. 1430.

9. *Qui sanctitate & doctrina præstabant?*

S. Vincentius Ferrerius, qui à confessionibus primùm erat Antipapæ Benedicto XIII. & Sacri Palatii Magister ab eodem creatus, sed perspecta hominis ambitiosi pertinaciâ, eundem deseruit, imò & oppugnavit: S. Bernardinus Senensis, quem Fratres Minores de *Observantia* à *Conventualibus* exinde distincti, veluti parentem colunt: S. Laurentius Justinianus primus Venetiarum Patriarcha, S. Joannes Capistranus, S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, S. Didacus, S. Joannes à S. Facundo, S. Casimirus Poloniæ Regis filius, S. Lidvina, S. Francisca Romana S. Catharina Bononiensis, B. Coleta, quæ S. Claræ Ordinem instauravit &c.

Virtu-

Virtute item & doctrinâ eminuêre Joannes Gersonius Cancellarius Parisiensis, Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis, Dionysius Carthusianus, Thomas Kempensis, Joannes Picus, Mirandulanus &c.

10. Num & miraculis Ecclesia claruit?

Longè plurimis, quibus plena sunt acta Sanctorum tum aliorum, tum præcipuè S. Vincentii Ferrerii, S. Bernardini Senensis, S. Joannis Capistrani, S. Francisci de Paula, qui à nautis rejectus Siciliæ fretum strato super aquas pallio cum socio trajecit &c.

Seculum XVI.

1. Quinam Christi in terris Vicarii?

216. Pius III. ad ann. 1503.

Reliquos vide in fine opusculi.

2. Quid de hisce Pontificibus strictim memorandū?

Pius III. septimo & vicesimo quam electus est die, publico omnium luctu decessit. Julius II. excelsi animi Pontifex Cæsarem Borgiam ad arces, & oppida, quæ Ecclesiæ vi eripuit, reddenda compulit, Gallosq; totâ Italiâ exegit. Hic Ann. 1506. fundamenta jecit magnificentissimæ Basilicæ Vaticanæ, inter miracula orbis meritò numerandæ: cùmq; Cardinales nonnulli Galliæ Regis instinctu conciliabulum Pisis coëgissent, ad hoc disturbandum Synodum in Basilica Lateranensi A. 1512. celebrandam indixit. Leonem X. ipse adeò Lutherus ob insignem morum innocentiam, vitamq; incul-

inculpatam cum agno, cum Daniele Propheta &
Ezechiele comparabat. At verò ut primum hæ-
reſiarchæ illius errores edito diplomate conde-
mnavit Leo, ſubita metamorphoſi ex agno in lu-
pum, ex Angelo in diabulum, e Chriſti Vicario
laudatiſſimo in Antichriſtum & Atheum eſt trans-
mutatus. Atq; hæc ſola unica demum cauſa eſt,
cur cæteros quoq; Pontifices, ut magna omnes
laude rexerint Eccleſiam, infami appellatione no-
tent hæretici, quia nempe Paſtores illi vigilantiſ-
ſimi, quibus Chriſtus ipſe oves ſuas omnes & a-
gnos paſcendos tradidit, hos lupos gregem Chri-
ſtianum fœde dilaniantes arcere, oviculasq; miſe-
rè ſeductas ad opima & ſalutifera paſcua, unumq;
illud ovile reducere omni ope ac viribus conni-
tebantur.

3. *Quis Status Eccleſiæ?*

Hæc, ſi aliàs unquam, hoc præcipuè ſeculo ſchi-
ſmate longè atrociſſimo diſciſſa, innumerisq; af-
flicta calamitatibus fuit. Auctor tantorum malo-
rum præcipuus erat Lutherus, qui licèt vitæ, do-
ctrinæq, fuerit multò perverſiſſimæ, atq; adeo re-
formatione & correctione præ aliis omnibus indi-
guiſſet, univerſam tamen Chriſti Eccleſiam refor-
mare, ſeu potiùs horrendum in modum deforma-
re aggreſſus eſt, fidei morumq; dogmata a Chri-
ſto & Apoſtolis tradita, totiusq; Eccleſiæ judicio
pridē approbata convellēdo penitus, doctrinamq;
Evangelio prorſus contrariam introducendo. Hæ-
reſiarchæ hujus veſtigiis alii ſubinde atq; alii e-

juſ-

jusdem furfuris novatores certatim institêre, qui licet inter se maximopere dissenserint, & alius alium hæreseos insimulàrit, in id unum tamen conspiravêre omnes, ut DEI Ecclesiam everterent. At stetit hæc tot inter assultus non modò immota, sed inde à tempore illo, quo hæretici isti velut artus gangrænâ infecti, à reliquo corpore abscindi, & tanquam noxii stolones à vite, quam Christus plantaverat, amputari cœpêre, lætiùs longè refloruit *vinea illa electa*, fructusq; uberiores protulit. Mirâ proin Numinis providentiâ factum est, ut per ipsam adeò hæresim, velut ignem, aridos palmites ac sarmenta corripientem & absumentem, Religio vera auri instar probata, & à scoria spurioq; metallo secreta, ac depurgata fuerit.

4. *Num hoc quoque seculo Ecclesia Christi aucta & dilatata est?*

Omnino; nam dum Lutherus aliiq; apostatæ & satanæ emissarii in extremo propè Europæ angulo non paucos à veritatis tramite, fideq; & obsequio, quod Christi Vicario præstare omnes debent, impiè ac perfidiosè abduxissent, in Asia, Africa, & America à *Missionariis* Apostolicis multæ hominũ myriades Christianis sacris initiatæ Romano Pontifici se submisêre. Atq; ut Syros, Æthiopes, Cophtes, aliosq; plurimos omittam, ab extremo usque Oriente Japoniæ Principes, missa solemni legatione, Christi Vicario sacramentum Romæ dixère. Sed & in Europa, præter alios (quos inter Philippus, Edvardus & Jacobus Marchiones Badenses

ſes &c.) Joannes Saxoniæ Elector, qui ſolus è ſeptemviris cum quatuor Principibus & duabus Imperii urbibus A. 1530. Confeſſionem Auguſtanam, ab Imperatore, cæterisq; Imperii Ordinibus rejectam, ſubſcripſerat, biennio pòſt ad ſanctæ Matris Eccleſiæ gremium rediit, ac Lutherum cum ejus aſſeclis proſcribi, errores exitiales, in quos & ſe & ſubjectum ſibi populum fraudulenter inductum fuiſſe fatetur, funditus extirpari, veramq; & orthodoxam Religionem ſartam ſemper tectamque conſervari juſſit, uti in Opuſculo quarto *de Electoratu Saxonico* memoratum eſt. Variis quoq; cuniculis & anfractibus hæreſis penetrare tentabat in Bavariam, quò à nonnullis etiam optimatibus clanculum invitata eſt. Sed aditum omnem præcluſit tum Religioſiſſimorum Bavariæ Ducum, tum Petri Caniſii, & Pauli Hoffæi Soc: Jesu Sacerdotũ indefeſſa planè cura & vigilantia, quos idcirco magnanimus ille & ſapientiſſimus Bavariæ Dux Albertus V. encomio, geminis Apoſtolorum Principibus ab Eccleſia tribui ſolito, condecoravit, hæc ſæpiùs verba iterando: *Petrus* Caniſius, & *Paulus* Hoffæus, *ipſi nos docuerunt legem tuam Domine.*

5. Quinam hæretici DEO & Eccleſiæ bellum intulêre?

Primus claſſicum cecinit Lutherus hæreſiarcha ex omnibus flagitiis concretus, uti vel ex ſolis libris, à perditiſſimo hoc tenebrione in lucem protruſis, ſole meridiano clariùs apparet. Hic horrenda animarum ſtrage per Germaniam plagasq;

Borea-

Boreales edita, mox complures alios commilitones ad similia audenda exemplo suo provocavit, quos inter Zwinglius Helvetiam, Calvinus Galliã miserandum in modum devastavit. Ille nil nisi Catholicorum sangvinem sitiens, cum iisdē acie congressus & vitam & victoriam, contrà ac suis prædixerat, amisit, meritasq; perfidiæ & impietatis suæ pœnas dedit hic Genevæ horrendos inter cruciatus, execrationes & blasphemias, dæmonumq; invocationem, impiam animam evomuit, DEO & hominibus exosus. Longum nimis ac molestum foret recensere cæteros omnes errorum magistros, ê quibus 1. Melanchthon Coryphæus erat *mollium*, 2. Flaccus Illyricus *rigidorum* Lutheranorum, 3. Joannes Brentius Ubiquistarum, 4. Nicolaus Pelargus & Munzerus Anabaptistarum, in plures iterum sectas divisorum, 5. Michaël Servetus Antitrinitariorum, 6. Lælius Socinus, ejusq; patruelis Faustus Socinianorum &c. qui omnes corruptissimo hoc, rudissimoq; seculo piscabantur in turbido. Ac ne hamum mitterent sine esca, Principibus laicis opima Sacerdotiorum spolia hominibus perpetuo Castimoniæ voto obstrictis sacrilegos concubitus, omnibus omnē vivendi licentiam permisêre, sicq; multa animarum millia in massam suam, æternumq; pertraxêre exitium. Henricus VIII. Angliæ Rex, cum ob repudiatam legitimam conjugem, & Annam Bolenam nefandis nuptiis sibi copulatam ab Ecclesiæ communione seclusus fuisset, se Papam & Hierarcham

cham ipse renunciavit. Inde Anglia, tot olim Sanctorum patria, omnium ferme hæreseon receptaculum fieri cœpit.

6. *Quæ celebrata fuêre Concilia?*

1. Lateranense V inter Oecumenica XVII. An. 1512. à Julio II. inchoatum, subq; Leone X. A. 1517 ad exitum perductum, ubi præter alia expeditio contra Turcas decreta est. Sed heu! immanior longè hostis ipso hoc anno Ecclesiæ, sacriq; Romani Imperii pacem disturbare ingressus est, Lutherus nempe, DEO, Ecclesiæ & Cæsari rebellis transfuga, qui eò impietatis ac furoris processit, ut palàm asseverare sit ausus, pugnare contra Turcas, internecinos illos Christiani nominis hostes, nil esse aliud, quàm DEO ipsi arma inferre. Unde Christianos omnes enixè obtestatus est, ne contra Turcas ullo modo arma capesserent, hocq; in bellum ne tantillum quidem contribuerent; sed expeditione contra Turcas usq; eò supersederent, quoad Papæ nomen & potestas sub cœlo viguerit, 2. Concilium Oecumenicum XVIII. à Paulo III. indictum, cœptumq; Tridenti A. 1545. & sub Julio III. ac Pio IV. continuatum, optato tandem exitu A. 1563. terminatum est, & ab eodem Pio IV. confirmatum. Huic præsidebant Pontificis loco Cardinales quinque, ac præter Cardinalem Lotharingum & Medrutium aderant Patriarchæ tres, Archiepiscopi 33. Episcopi 235. Abbates 7. Præpositi generales Ordinum Religiosorum octo, cum Theologis ampliùs 146. Damnatus Lutherus, Cal-

vinus

vinus, aliiq; hæretici, multaq; ad instaurandam disciplinam Ecclesiasticā utilissimè decreta. Complures insuper Synodi *particulares*, cùm ad exterminandas hæreses, tum ad mores corrigendos, tum ad Concilii Tridentini decreta exsecutioni mandanda coactæ fuerunt. Sectarii tametsi, ut fucum facerent orbi Catholico, ad Concilium Oecumenicum identidè appellabant, malebant tamen Lutherum aliquem, aut Calvinū, aut Zwingliū &c. qui ob vitam enormibus & infandis sceleribus infamem ne ad profanum quidem tribunal ut testes idonei admitti poterāt, omniū fidei Controversiarū Judicē, veræ religionis & sanctitatis Magistrū viæq; ad cœlum, ipsomet Christo teste, adeò arctæ & impeditæ ducem sibi deligere, quàm ad Ecclesiæ universæ in Concilio Oecumenico congregatæ judicium certum omnino & indubitatum, nisi Christum ipsum mendacii velint arguere, se conformare

Præter Synodos jam memoratas, plures alii conventus & consultationes sine auctoritate tamē & approbatione magistratus Ecclesiastici, frequentabantur occasione schismatis a novatoribus illis excitati.

Ac primò quidem simul ac Lutherus An. 1517 errores suos disseminare cœpit, mox à Leone X. Romam ad causam dicendam citatus est. Sed intercessit Fridericus Saxoniæ Elector, obtinuitq; ut Luthero facti sui rationem reddere liceret Augustæ Vindelicorum coram Cardinali Cajetano. Sed

hunc

hunc, uti antea Leonem, versipellis hæresiarcha, nequiter delusit, utriq; in speciem se omnino submittens, cùm revera super universam Christi Ecclesiam insolentissimè sese efferret, & huc atque illuc tergiversando, nunc à Cardinale ad Pontificem, moxq; ab hoc ad futurum Concilium appellaret, animo semper obstinato ad morem nec huic, nec illi unquam gerendum.

II. A. 1519. in celebri illa disputatione Lipsiensi Lutherus à Joanne Eckio Academiæ Ingolstadiensis Professore eas in angustias est redactus ut disceptationem his tandem verbis abruperit: *Res hæc cœpta non est propter Deum, nec propter Deum finietur.* Hæresiarchæ porrò hujus doctrina & ab Academiis, & à Papa Leone X. damnata est ut hæretica, & à Carolo V. Imperatore infami rogo addicta. Lutherus contrà & diploma Pontificium, & *Corpus*, ut vocant, *Juris Canonici* Wittembergæ publicè combussit has inter execrationes, & diras: *Quia tu conturbâsti Sanctum Domini, ideò te conturbet ignis æternus!* Unde homo perditissimus ac profligatissimus libros complures horrendis in Deum ac Cœlites blasphemiis, immanibus in Principes sacros æquè ac profanos conviciis & contumeliis, innumeris mendaciis, calumniis, antilogiis, jocis scurrilibus, dictis spurcissimis, obscœnissimis &c. oppletos vulgare non destitit.

III. A. 1521. in Comitiis Wormatiensibus Carolus V. Imperator, summi Pontificis sententiam executurus, subscribentibus cæteris Imperii Ordini-

bus, Lutherum, utpote non *hominem, sed diabolum ipsum sub hominis specie, qui ad humani generis perniciem hæresium pridem rejectarum sordes & purgamenta in unam quasi congessisset sentinam, & sub Evangelicæ professionis nomine omnem Evangelicam pacem & charitatem penitus pessundare moliatur* &c. proscripsit, ejusq; tanquam pervicacissimi hæretici libros pestiferos publico igne aboleri jussit. Hunc tamen Hæresiarcham ab Ecclesia & Imperio proscriptum Fridericus Saxoniæ Elector à personatis militibus in arcem Wartenburgensem clàm abducendum curavit, ubi novem ampliùs menses delitescens perliberaliter est habitus, Lutheri interim sectatoribus ubique tumultuantibus, ducemq; & Coryphæum suum Cæsari jussu contra datam fidem publicam ex itinere clàm interceptum ac trucidatum fuisse calumniantibꝰ. Lutherus porrò in asylo suo Wartenburgensi minas omnes & fulmina Papæ juxta ac Cæsaris ridens nec Deum, nec homines pensi habens, non pauca, æternis condenda tenebris, elucubravit diabolo magistro, ex cujꝰ disciplina & institutione *Missam* sacrosanctum illud & unicum novæ legis sacrificium, se abrogâsse, ultrò ipse fassus, imó & gloriatus est.

IV. Cùm in binis conventibus A. 1523. & A. 152 Norimbergæ celebratis Legatus Pontificius vehementer instaret, novitii ut errores abolerentur responsum non aliud tulit, quàm causam hanc i Concilio generali disceptandam esse. Interi

mali

mali contagio latius in dies serpebat. Cùmque Leonardus Koppen Lutheri jussu novem moniales quas inter Catharinã de Bore, è parthenone Nimicensi ipsa die Parasceves Wittembergam secum avexisset. Lutherus sacrilegum raptorem oratione panegyrica celebrare, & cum Christo, animas ex inferis educente comparare est ausus: quin etiam, ut sacrilegium sacrilegio cumularet, Monachus Monialem, Catharinã de Bore, infame illud scortum in concubinam, quoad vixit, sibi ascivit. Cujus facti, capitali supplicio digni, immanitate ipsi adeò Lutherani summopere offendebantur.

V. A. 1530. Confessionem Augustanam, ex variis hæresum pridem damnatarum centonibus, fraudibus, mendaciis, & calumniis consutam & Cæsar, & Imperii Ordines pleriq; omnes tanquam *doctrinam factiosam, perniciosam, & jam olim reprobatam* condemnârunt, ut Melanchthon ipse qui Confessionem illam cudebat, iterumq; ac sæpiùs recudebat, hunc in modum dolenter conqueritur: *In Comitiis Augustanis tristi & atroci sententia damnati sumus.* Quem tamen Lutherus per literas his verbis solabatur: *Si vim evaserimus, pace obtenta, postea dolos, mendacia & lapsus nostros facile emendabimus.* Horum veteratorum dolis ac mendaciis fraudulenter circumventum se fuisse serò quidem (paulo nempe ante mortem) sed seriò doluit Joannes Saxoniæ Elector, tantus exinde Lutheri, Confessionisq; Augustanæ osor & hostis, quantus nuper fautor ac patronus erat. De ori-

gine porrò *Protestantium*, fœdere Smascaldico, formula Religionis *Interim*, Transactione Passaviensi, pace Religiosa &c. in opusculo *III.* parte IV cap. IV. mentio facta est.

VI. A. 1525. Badenæ Helvetiæ urbe Joannes Faber Constantiensis Episcopi Vicarius Generalis, Joannes Ekius, & Thomas Murnerus contra Oecolampadium, Hallerum & Studerium [nam Zwinglius disputationem detrectabat] congressi, crassissimos sectæ Zwinglianæ errores tam evidentibus argumentis confutârunt, ut duodecim *Cantonum* legati uno omnes consensu eam rejecerint. Soli Tigurini Zwinglio, impio illi & sangvinario Hæresiarchæ adhæserant, quos A. 1528. secuti Bernates ferventes olim Catholici, tum Basileenses, Scaphusiani, Sangallenses &c.

5. *Quæ piæ consvetudines, aliæque ordinationes?*

1. Paulus IV. magnæ sanctitatis & doctrinæ Pontifex, fidei morumq; integritati consulturus, librorum prohibitorum Indicem promulgavit. 2. S. Pius V. ob eximiam vitæ sanctitatem, nec minorem doctrinam, omnium acclamatione divinitus electus, constituit, ut ad Missæ finem S. Joannis Evangelium, pro quo illud S. Lucæ: *Loquente Jesu ad turbas* &c. licebat antea substituere, ab omnibus deinceps Sacerdotibus diceretur. Ex quo tempore magorum, sagarum, incuborum, lemurũ &c. insectationes plurimùm sunt repressæ. 3. Idem Pontifex sanctissimus Festum B. V. Mariæ de Victoria, sive Rosarii, prima Octobris Dominicâ quot-

annis

annis celebrandum instituit ad perenne monumentum victoriæ celeberrimæ de Turcis non tam armis, quàm fusis ad DEUM precibus, ad Naupactum A. 1571. reportatæ, quam eâ ipsâ, quâ obtenta est, horâ divinitus cognovit. 4. Gregorius XIII. Pontifex verè Optimus Maximus, deq; Christiana republica universa quam optimè meritus, inter alia opera præclara prorsus, tantoq; digna Pontifice, etiam Calendarium emendandum curavit, expunctis mense Octobri A. 1582. diebus decem, translatoq; æquinoctio verno ab undecimo ad vicesimum Martii diem, à Concilii Nicæni Patribus præstitutum. Ac licèt emendatio hæc orbi Christiano universo non utilis tantùm, sed omnino necessaria fuerit; maluère tamen Novatores *stylo veteri*, hoc est, inveteratæ suæ pervicaciæ contumaciter inhærere, & in errore hoc, utut satis superq; cognito (perinde nempe atq; in hæresi sua) obstinatè perseverare, quàm cum Papa sentire; qui tamen hac in re nil nisi communem omnium utilitatem ac necessitatem, ipsiusq; adeò Nicænæ Synodi ordinationem spectabat; quoad tandem A 1700. quando Calendarium utrumq; diebus undecim discrepare jam cœpit, pleriq; omnes Calendarium Gregorianum recepêre, licèt non sine nova, eaque frivola prorsus exceptione, ab omnibus, rerum intelligentibus, meritò explodenda. 5. Sodalitates Marianæ Romæ A, 1563. à Joanne Leonio in Scholas Societat: JESU introductæ sunt insigni prorsus juventutis & aliorum bono. 6. Triduo

Bacchanalium in templis Soc: JESU 40. horarum comprecatio ingenti animarum lucro institui cœpta est.

8. *Qui Ordines Religiosi recèns conditi?*

Dum communis & implacabilis humani generis hostis per Lutherum, Calvinum, Zwinglium, aliosq; fœderatos disciplinam, & vota Monastica penitus abolere parat, DEUS plures hoc seculo, religiosas familias, tanquam legiones recentibus armis, viribusq; instructas, militanti Ecclesiæ suppetias misit, quæ horrendam animarum stragem, damnaque, à fœdifragis illis religiosæ & Christianæ militiæ desertoribus illata, resarcirent. Has inter 1. confirmatus est à Clemente VII A. 1524. Ordo Clericorum Regularium, quem S. Cajetanus, & Petrus Carafa Episcopus primùm Theatinus, (unde *Theatini* cognominati) dein Papa Paulus IV. dictus, condidêre. 2. Ordo Minorum S. Francisci Capucinorum itidem approbatus A. 1528. à Clemente VII uti & 3. Ordo Minorum S. Francisci *de strictiori Observantia*, quos & *Recollectos* vocant A. 1532. nec non 4. Congregatio Clericorum Regularium S. Pauli, qui & Barnabitæ dicuntur A. 1533. 5. Paulus III. A. 1540. confirmavit Societatem JESU à S. Ignatio de Loyola institutam. 6. S. Pius V. A. 1568. Congregationem Clericorum Regularium S. Majoli sive de Somascha, cujus auctor S. Hieronymus Æmilianus, item 7. A. 1572. Ordinem Fratrum hospitalitatis à S. Joanne de Deo fundatum approbavit. 8. Gregorius XIII. A. 1575. Con-

Congregationem *Oratorii* à S. Philippo Nerio institutam, & 9. A. 1580. Ordinem Carmelitarum discalceatorum a S. Theresia & S. Joanne à Cruce ad pristinam S. Alberti regulam reductum. 10. Sixtus V. A. 1585. Congregationem Clericorum ministrantium infirmis, & 11. A. 1586. Fuliensem strictioris observantiæ Monachorum Ordinis Cisterciensis, 12. Clemens VIII. A. 1592. Congregationem Clericorum Regularium doctrinæ Christianæ confirmavit.

9. *Qui Sancti celebriores Ecclesiam illustrârunt?*

S. Franciscus de Paula, S. Cajetanus, S. Joannes de Deo, S. Franciscus Xaverius, S. Thomas de Villa Nova, S. Ignatius Loyola, S. Petrus de Alcantara S. Stanislaus Kostka, S. Pius V. S. Franciscus Borgia, S. Ludovicus Bertrandus, S. Teresia, S. Carolus Borromæus, S. Felix de Cantalicio, S. Philippus Nerius, S. Aloysius Gonzaga, S. Joannes à Cruce, S. Paschalis Baylon, sex & viginti Martyres, qui in Japonia ab ethnicis, & undeviginti, qui Gorcomii Hollandiæ urbe ab Hæreticis orthodoxæ Religionis causâ occisi fuêre, præter complures alios, sanctitate & miraculis claros, quibus Ecclesia honores cœlestes necdum decrevit.

10. *Quæ miracula vulgatiora?*

1. In Polonia sacrosancta hostia, quam Judæus ab ancilla Christiana emptam iteratis ictibus perfoderat, copiosum sangvinem fudit: quo circa Judæus cum ancilla Regis Sigismundi jussu flammis est absumptus. 2 Imago Christi Crucifixi lapi-

lapidibus appetita, sangvinem pariter reddidit, cujus facinoris auctor Moguntiæ supremo affectus supplicio est. Quot porrò, quantaque miracula vel solus S. Xaverius (ut Sanctos alios silentio præteream) patrârit, testis est orbis universus.

Seculum XVII.

1 Quinam summo functi sunt sacerdotio?

233 Leo XI ad ann. 1605.

Reliquos vide in fine Opusculi.

2. Qua laude hi omnes Ecclesiæ gubernacula tenuêre?

Cùm Lutherus cæteriq; apostatæ eo impietatis progressi fuissent, ut ipsum adeò JESU Christi in terris Vicarium Antichristum appellare fint ausi, DEUS, ut immanem hanc hæreticorum calumniam facto ipso refelleret, orbiq; universo manifestas eorum fraudes, technas & mendacia ob oculos poneret, jam inde a Lutheri apostasia ad hoc usque tempus eos sibi vicarios delegit, in quibus ne conjurati quidem Pontificii nominis hostes haberent, quod jure possent reprehendere.

3. Quis status Ecclesiæ?

Tot licet errorum ac hæresum spinis passim progerminantibus, morum tamen disciplina & scientiæ, Rosarum instar, pulcheriùs in dies cœperunt reflorescere. Instaurata quippe ubiq; Catholicorum pietas, templorum nitor, rituum Ecclesiasticorum decentior & accuratior usus, institutionum Christianarum, Concionum & Sacra-

mento-

sentorum frequentia &c. Quæ porrò, quantaq; letrimenta Religio orthodoxa ex tricennali bello, ecutaq; exinde pacificatione Westphalica accepe- it, in Opusculo III. strictim attigimus.

4. *Qua ratione Religio orthodoxa propagata est?*

1. In America propè innumeri à Missionariis pstolicis ad Christi ovile sunt adducti. 2. Nec ninor animarum messis collecta in Indiis, & va- issimo frequentissimoq; Sinarum Imperio, quò oc: JESU Missionarii post diuturna, annorum empe ampliùs quadraginta, longeq; difficillima, : ineluctabilia propè obstacula labore incredibili immisq; vitæ periculis ægerrimè tandem perru- ta aditum sibi compararunt, multis hominum iillibus annuatim ad Ecclesiam Catholicam ag- regatis, quos inter Constantinus fuerat, legitimus nperii Sinici hæres, ejusq; Mater Helena Impera- ix, & Anna avia, cùm Maria Imperatoris Junlie xore: Imperatoris item Sinensis nepos, aliiq; egni illius proceres &c.

In Japonia ineunte hoc seculo quadraginta hristianorum millia numerabantur, qui miranda rorsus virtutū plane heroicarū dedêre specimina. ed heu! tantas & res, & spes intervertetūt Hollādi, ui postquam & ipsi appulêre in has terras, quò atholici immensis pridem sumptibus periculisq; ajecti, glaciem quasi fregêre, Christiana inde eligio penitùs profligata est. In Africa Monar- ha Monomotapæ cum conjuge & filio, aliisque luribus; tres item Regum diversorum filii natu

maxi-

maximi &c Religionem Catholicam ſunt amplexi. In Europa Rex Chriſtianiſſimus Ludovicus XIV. A. 1685. ſolemni edicto Calvinianos ad Religioné orthodoxam, à qua majores ipſorum perfidiosè defecerant, redire, ac pſeudo Evangelii præcones natoto regno juſſit excedere. Reducta quoque ad Eccleſiam orthodoxam Bohemia, Moravia, Palatinatus Superior, Ducatus Neoburgicus &c. Auſtria item, Carinthia, Styria, Carniola &c., ejectis inde errorum magiſtris, ab omni hæreſi depurgata. Ex Regiis porrò & Principalibus Europæ familiis in ſalutis ſemitam, à qua progenitores fraudulenter ſunt abducti, Deo duce atque auſpice rediêre Carolus II. ejusq; frater Jacobus II. Angliæ uterque Rex, Chriſtina, Sveciæ Regina, quæ in ætate, fortunaque florentiſſima facto plane heroico in omne ævum memorando A. 1654. regno ampliſſio ſponte abdicato, Romam exinde commigravit, ubi ab ipſo ſummo Pontifice Alexandro VII. S. Confirmationis Sacramento initiata, anno demum 1689 cœleſtis Regni poſſeſſionem adiit. Tota prætereà Domus Electoralis Palatina Neoburgica, & Sulzbacenſis, uti & Haſſo-Rhenofeldenſis, Joannes item Fridericus Dux Haunoveranus, & Fridericus Auguſtus Saxoniæ Elector cum pluribus aliis Ducibus Principibus, Comitibus &c. ad avita ſacra ſunt reverſi.

5. *Quæ novæ hæreſes hoc ſeculo ſunt exortæ?*

1. Præter plures alias ſectas è Lutherana & Calviniana hæreſi in Britannia præſertim & Hollan-

dia

ria prognatas, hæresim Jansenianam in orbem invexit Cornelius Jansenius, non Flander ille, Gandavensium Episcopus, celeber sacrarum literarum interpres, A. 1576. vita functus, sed Hollandus, è Doctore Theologo Iprensis Episcopus, A. 1638 pestifera lue extinctus. Hic de gratia Christi & libera hominis voluntate librum elucubravit, *Augustinus* inscriptum; à cujus tamen doctrina tam longè abest, quàm propè accedit ad Calvinum, qui & ipse cum Wicleffo, Luthero, aliisq; hæreticis gloriari ausus est, Augustinum totum a se stare. Quapropter librum illum à Jansenii primùm obitu typis vulgatum, perque Belgium & Galliam undique dispersum, Batavi Calviniani mox in lingvam vernaculam traduxêre, palàm professi, nihil eo aptius ad confirmanda Calvini dogmata inveniri posse, nec dubium esse, quin, si Catholici omnes Jansenii doctrinam reciperent, duæ Ecclesiæ, Calviniana nempe, & Romana, in unam sint coalituræ. Meritò proin monstrosus ac pestilens hic partus, ut primùm in Belgio lucem aspexerat, mox Romæ ab Urbano VIII. A. 1641. edita Constitutione *In eminenti* &c. proscriptus & ad tenebras est damnatus, utpote Michaëlis Baji Theologi Lovaniensis errores, à Pio V. & Gregorio XIII. damnatos pridem sepultosque resuscitans. Innocentius X. quinque dein propositiones è Jansenii *Augustino* excerptas An. 1653. solemni Constitutione damnavit ut hæreticas. Quam sententiam Alexander VII. A. 1656. aliique exinde

Ponti-

Pontifices editis diplomatis ratam habuêre. 2. Michàel Molinos, Sacerdos Hispanus, Quietistarum coryphæus simulatæ sanctitatis larvâ errores suos fœdissimos diu nequissimè obtexerat; sed patefacta tandem hypocrisi, Romæ A. 1687. coram sacro Senatu, immensaq; populi frequentia nefanda sua dogmata publicè retractavit, in perpetuã exinde custodiam traditus ab Innocentio XI. eximiæ sanctitatis Pontifice. 3. Sub annum 1688. nova exorta est secta *Pietistarum*, qui, cùm non Spiritum Sanctum, veræ virtutis ac pietatis magistrũ per os Ecclesiæ loquentem, sed spiritum suum privatum, hoc est, cœcum, erroneum, fanaticum, ducem sequantur, mirũ non est, eos per avia & devia temerè & inconsultè ferri, ac toto cœlo errare, totq; ferè *Pietistarũ* esse sententias, quot capita.

6 *Quid de Conciliis memorandum?*

Post Concilium Tridentinum longè celeberrimum, plura quidem *particularia*, at nullum exinde generale est celebratum, neque ad id ulla adhuc urgebat necessitas. Et verò quid aliud Romana est curia, tot perpetim Cardinalibus & Episcopis frequens, nisi continua quodammodò Synodus? cæterum non modo ab Latina, verùm etiam ab Ecclesia Græca, quamvis schismatica, & Latinæ pariter adversante, penitus reprobata est Lutherana & Calviniana doctrina: cùm enim Lutherani A. 76. & 77. prioris seculi Jeremiam Patriarchã Constantinopolitanum, quem *Sanctissimum & Oecumenicum* &c. appellabant, communi-

unicata Confessione Augustana per literas & le-
atos ad consilia & arma adversus Ecclesiam Ro-
nanam consocianda iteratò instantissimè solicitas-
ent, Patriarcha triplici libello manifestos sectæ
ovitiæ errores confutavit, ostenditque Ecclesiam
rthodoxam fide indubitata semper credidisse
eptem Sacramenta, Confessionem auricularem,
ranssubstantionem, sacrosanctæ Missæ sacrificiũ,
n quo pro vivis & defunctis supplicetur, DEI-
Paræq; & omnium Sanctorum patrocinium im-
ploretur &c. Nec minùs Calvinianos spes sua
rustrata est; nam cùm Batavi adnitente supre-
no militiæ Turcicæ præfecto, quem pecuniâ
& largitionibus corruperant, Cyrillum Calvinia-
næ sectæ fautorem in sedem Constantinopolita-
nam intrudendum curâssent, ejus postea successor
Parthenius, universaquè Græcorum Episcoporum
Synodus A. 1642. Constantinopoli coacta hæresim
Calvinianam omnibus diris devovit.

7. *Quæ piæ consvetudines introductæ ?*

1. Perpetua quadraginta horarum comprecatio Romæ in singulis deinceps templis à Clemente VIII. instituta est. 2. Communio generalis sive menstruus populi ad sacram Synaxim concursus sub Paulo V. frequentari cœptus. 3. Urbanus VIII. in codice precum horariarum hymnos, aliaq; meliorem in formam redigenda curavit. Idem purpuratos Ecclesiæ Patres *Eminentissimi* titulo condecorari voluit ac distingvi.

8. *Quæ*

8. Quæ religiosæ familiæ institutæ?

1. Ordinem Clericorum Regularium *Piarum Scholarum*, à Venerabili Josepho Calasantio fundatum, Gregorius XV. A. 1621 confirmavit. Horum munus est pueros pauperes primis literarum elementis imbuere. 2. S. Franciscus Salesius Ordinem Monialium à Visitatione B. Virginis nuncupatum A. 1610. condidit. 3. Congregationi Ursulinarum priori jam seculo institutæ, & à pluribus Pontificibus laudatæ, Urbanus VIII. A. 1633. solemnia religionis vota nuncupare permisit, scholasq; aperire, ubi puellæ sine minervali erudirentur. 4. Monialium sive Canonissarum Regularium S. Augustini Congregationem Dominæ nostræ à B. Petro Forerio institutam, Paulus V. A. 1614. approbavit &c.

9. Quinam post vitæ curriculum hoc seculò cum sanctitatis & miraculorum fama emensum, Sanctorum exinde, aut Beatorum fastis solemni ritu fuêre adscripti?

Sancti, Franciscus Salesius Episcopus Genevensis, Turibius Archiepiscopus Limensis in Peruvia, Andreas Avellinus, Franciscus Solanus, Maria Magdalena de Pazzis, & Rosa Limana. Beati, Joannes de Prado, Fidelis Sigmaringanus, & Hyacintha Marescota, Joannes Franciscus Regis, Petrus Foresius. Ut nihil dicam de pluribus aliis, quorum virtutes & miracula Roma etiam nunc summa, qua solet, circumspectione & accuratione ad *pondus Sanctuari* examinat.

10. Quæ

1. Quæ miracula patrata?

Ex pluribus unum alterumq; recensere juvat. 1. Cum Faverniaci, quod Burgundiæ Comitatûs oppidum A. 1608 die 25. Maji, in quem Dominica Pentecostes tunc inciderat, in æde *Abbatiali*, B. V. Mariæ sacra, noctu scintilla è cereo ex.idens, tapetes & proxima quæque, igni longè latèque diffuso absumpsisset, ecce tibi sacrosancta Hostia unà cum hierotheca medias inter flammas non modò illæsa, verùm etiam, collapsis omnibus fulcris, trium & triginta circiter horarum spatio in âére suspensa, prorsusque immota perstitit, omnibus, qui cùm ad obtinendas Indulgentias Pontificias, tum ad grande hoc miraculum spectandum catervatim undique confluxerant, stupore attonitis? dum tandem die tertio Pentocostes sub horam decimã, cùm Sacerdos, sacris operans, peracta consecratone, Hostiam populo adorandam pro more ostendisset, memorata quoque hierotheca, ex aëre sensim delapsa, sacro linteo insedit cum ingenti omnium, quotquot aderant, pietatis sensu. Rei porrò totius seriem Archiepiscopus Bisontinus Ferdinandus de Longuy, causâ titè cognitâ, typis vulgavit, missoq; Romam ad Pontificem nuncio, Urbem, & orbem orthodoxum mista lætitiæ admiratione complevit. 2. Neapoli A. 1634. Marcellus Mastrillus Soc: JESU Sacerdos è lethifero contusi cranii vulnere ope S. Francisci Xaverii repente convaluit. Cujus, uti & plurium miraculorum exinde consecutorum fama non so-

lum

lum Italiam pervaſit univerſam, ſed & Hiſpaniã, Luſitaniam, Indiam & Japoniam, ubi Macellus glorioſum martyrium, pluribus pariter prodigiis illuſtratum, fortiſſimè ſubiit &c.

Seculum XVIII.

1. *Quinam Chriſti Vicarii ad hoc uſque tempus Petri ſedem tenuêre?*

244 Clemens XI. ad 1721.	247. Clemens XII. ad 1740
245. Innocent. XIII. 1724	248. Benedictus XIV.
246. Bened: XIII. 1730.	*Vivat feliciter.*

2 *Quid dè hiſce Pontificibus memorandum?*

Clemens XI. virtutis & doctrinæ famâ celebratiſſimus Pontifex, temporibus longè difficillimis & turbulentiſſimis inſigni ſanè prudentia, circūſpectione, animique magnitudine ad Eccleſiæ gubernacula ſedit annos ampliùs viginti, quibus ſeptuaginta omnino Cardinales creavit. Innocentius XIII. dum Petri naviculam feliciter pergit gubernare, anno Pontificatûs tertio ad æternitatis portum appellit. Benedicti XIII. multiplicia virtutum lectiſſimarum exempla & monumenta in recenti omnium memoria etiamnum inſident.

3. *Quis Eccleſiæ ſtatus?*

Janſeniſtæ, Quesnello duce turbas innumeras graviſſimasq; in Galliâ maximè, ac Belgio excitârunt, His tamen adverſantium Inferorum proceſſis adeò merſa non eſt Petri navicula, ut altiùs etiam ſuſtolleretur, naufragii ſemper ſecura.

Hac

Hac quippe occasione per celebrem illam Constitutionem *Unigenitus*, qua centum & una Quesnelli propositiones à Clemente XI. A 1713. sunt damnatæ, orthodoxæ Ecclesiæ doctrina de divinæ præsertim gratiæ auxiliis & libera hominis voluntate magis est dilucidata occultæ Jansenistarum artes, technæ, fraudes, insidiæ patefactæ: detracta pietatis larva, detectaq; palàm turpitudo, ut ne fallaci porrò specie deciperentur incauti: veri germaniq; Ecclesiæ filii ab adulterinis & suppositiis, Catholici à pseudocatholicis, fidi clientes à perfidis, iisque intestinis, ac proin nocentioribus hostibus distincti, sejunctiq;: excitati demũ Orthodoxi ad arma capessenda, & perduelles istos gladio spiritûs ad internecionẽ usq; persequẽdos &c.

4. *Quæ Ecclesiæ propagatio?*

In America, uti & in India, Armenia &c. indefesso Missionariorum ex Europa identidem succedentium labore & industria Religio orthodoxa majora in dies capit incrementa: Ac licèt Missio Sinensis, nuper florentissima, jam propè exspirârit; non pauci tamen sunt ex prima quoq; Nobilitate, qui malint extrema quæq; perpeti, quàm Religioni Catholicæ nuncium remittere. Ex sola certè stirpe Imperatoria *Sunu* Christiani ampliùs sexaginta, & alius septuagenario major, ejusdem pariter cum hodierno Monarcha Sinico prosapiæ, hujusque & filii, & nepotes, & propinqui A. 1724. Religionis causâ universas Aulæ delicias cùm gravissimis exilii ærumnis læto omnes animo commutâ-

mutârunt. Patriarchæ quoque tres, Alexandrinꝰ, Damaſcenus & Alepenſis, abjuratis Græcorũ ſchiſmaticorum erroribus, Clementi XI. tanquam Chriſti in terris Vicario, & Eccleſiæ capiti ſeſe pleniſſimè ſubjecêce. In Europa ad Eccleſiæ Catholicæ gremium & avitam religionem rediêre ê Ducali Brunsvico-Gvelpherbytana Domo Eliſabetha Chriſtina, Auguſtiſſima Imperatrix, hujusq; Sereniſſimus Avus Antonius Ulricus Dux &c. Ex Electorali Domo Saxonica Fridericus Auguſtus, Princeps hæreditarius; Mauritius item Adolphus Saxo-Zeizius. Ex Ducali Domo Würtembergenſi Carolꝰ Alexander, Sylvius Fridericus cum conjuge Eleonora Carolina, Chriſtianus Ulricus, aliique viri Principes complures.

5. *Quæ novæ hæreſes graſſantur?*

Baji, Janſeniiq; erroribus ac centonibus pridem rejectis, novos cœpit aſſuere Paſchaſius Quesnellus, Oratorii primum Berulliani in Gallia Presbyter, dein *Prior Ordinis* Janſeniani: ita enim factionem ſuam, quam in Abbatias, Prioratus, Collegia, Domos, Hoſpitia, Eremos &c. partiuntur, vocare ſolent hi ſimii, Ordinumq; Religioſorum irriſores & contemptores. *Ordinis* hujus, non à Chriſti Vicario, ſed à ſatana (uti nomen ipſum JANSENISTA, SATAN-IN EIS, indicat) confirmati, *Fundator* erat Janſenius, peſtilentiſſimus S. Auguſtini corruptor: *Abbas* Joannes Vergerius ſive Sancyranus, Angelici Doctoris contemptor, dein Antonius Arnaldus, qui Eccleſiam *bicipitem*

in

in fanatico suo cerebro architectatus est: *Prior,*
quem dixi, Quesnellus. Hic & moderatorum
suorum, & Regis jussa respuens, pœnarum metu
è Gallia A. 1685. secessit in Belgium, ubi, ut no-
ceret securiùs assumpta laica veste, plurimos libel-
los infames, quorum aliqui etiam carnificis manu
sunt exusti, furtivis typis evulgavit, donec A. 1703
tenebrio hic, ejusq; socii Gerberonus & Brigodiꝰ
Bruxellis cum omnibus chartis, unde non pauca
iniquitatis mysteria patefacta sunt, è latebris suis
protracti, & ab Archiepiscopo Mechliniensi traditi
sunt in custodiam: è qua tamen Quesnellus suo-
rum opera elapsus, in Hollandiam profugit, tu-
tissimum Jansenistarum asylum, illic fugitivus hic
miles, quasi in insidiis latens, cum suis commili-
tonibus & fœderatis tum Religiosos, eos potissi-
mum, quos impiis suis molitionibus maximè ad-
versari noverat, tum etiam Episcopos, ac Cardi-
nales, ipsumq; adeo Christi Vicarium novis iden-
tidem machinis & armis, in Jansenianæ impietatis
officina recens procusis, oppugnare non destitit.
Cui ultrò suppetias tulere non solum multi hy-
pocritæ & pseudocatholici, imò & Religiosarum
quarundam familiarum alumni; sed & Lutherani
& Calviniani, quos inter & Jansenistas, ipsomet
Quesnello teste, *super materia de gratia non est*
ampliùs solidum dissidium; postquam nempe Jan-
seniani ad Calvinianos *omnino accesserunt in ma-*
teria de gratia, uti Petrus Juricux Calvinista libro
de Spiritu Arnaldi apertè fatetur. Ac ne Ques-

nellus cum asseclis pervicaciâ & perduellionis spiritu cederet Luthero, Pelagianis, cæterisq; hæreticis, horum præclaro scilicet, raroq; exemplo à Clemente XI. ejusq; Constitutione definitiva & decretoria scientia, cui universa DEI Ecclesia subscripsit, ad Concilium, hoc est, ab Ecclesia universa ad Ecclesiam provocare est ausus. Verùm hic ipse paulò pòst, nempe A. 1719. ad DEI tribunal, ubi provocatio locum non habet, est evocatus. Meliùs longè temporibusq; rebus suis consuluit Cardinalis Noallius Archiepiscopus Parisiensis, dum A. 1728. publicè palinodiam cecinit, revocavitque, quidquid ej9 antea nomine vulgatũ est contra Constitutionem *Unigenitus*, quam mente sincerissima recepit, utque id ipsum facerent oviculæ, curæ ipsius commissæ, pastorali mandato sanxit. Accessit edictum regium, in curia Parisiensi A. 1730. solemniter promulgatum, & in acta relatum, quo Rex Christianissimus Ludovicus XV. Constitutionem *Unigenitus* ab omnibus & singulis sine ulla exceptione ac tergiversatione recipi jussit, pœnis gravissimis in prævaricatores statutis.

6. Quæ Concilia celebrata?

1. Concilium Romanum An. 1725. præsidente Benedicto XIII. ubi damnati denuò Jansenii & Quesnelli errores, assertaq; Constitutio *Unigenit9*. 2. Concilium Avenionense anno eodem. 3. A. 1726. Concilium Firmanum. A. 1727. Concilium Ebradunense, ubi Episcopus Sanitiensis, ex Appellantium factione, damnatus, & in monasterium est detrusus.

7. Quæ

7. Qui ritus introducti?

1. Clemens XI. Solemnitatem SS. Rosarii ob insignes victorias A. 1716. & 1717. Deiparæ patrocinio de Turcis reportatas ad universam Ecclesiam extendit. 2. Innocentius XIII. Festum SS. Nominis JESU secundâ post Epiphaniam Dominicâ ab universa itidem Ecclesia celebrandum edixit. 3. S. Josephi, Christi nutritii, cultum magnopere amplificavit Clemens XI, & Benedictus XIII. &c.

8. Quid de Religiosis familiis memorandum?

1. Congregationem Fratrum, quos Bethlehemitas vocant, ab Innocentio XI. A. 1687. approbatam, Clemens XI. A. 1707. Ordinum Mendicantium privilegiis auxit. 2. Congregatio Benedictino-Polonica confirmata est A. 1709. à Clemente XI. perinde ac Benedictino-Bavarica A. 1684. ab Innocentio XI. & ab hujus antecessoribus Benedictino-Helvetica &c. 3. Antiquissimum Ordinem Equestrem Constantinianum S. Georgii, à Francisco Farnesio Parmæ & Placentiæ Duce restitutum, confirmavit itidem Clemens XI. A. 1718. Instituti præterea alii Ordines Equestres, videlicet S. Ruperti à Joanne Ernesto Archiepiscopo Salisburgensi A. 1701. *Amoris proximi* A. 1708. ab Elisabetha Christina, Romanorum hodie Imperatrice Augustissima. Deiparæ sine labe conceptæ & S. Georgii Martyris à Carolo Alberto Electore Bavaro, qui Ordinem hunc Equestrem, olim celeberrimum, instauravit A. 1729.

9. *Quinam ad hoc usque tempus cum sanctimoniæ fama decessêre?*

Venerabiles, F. Nicolaus de Lombardis Ordinis Minor. 1709. Josephus Cardinalis Thomasius Theatin. 1713. P. Franciscus de Hieronymo Soc: JESU 1716. P. Antonius Baldinuccius Societ: JESU 1717. F. Angelus Carmelita 1721. ut complures alios sanctitate & miraculis claros, qui eodem hoc tempore in cœlestem patriam commigrârunt, silentio prætercam. Augustissima quoque Romanorum Imperatrix Eleonora Magdalena Theresia, quæ A. 1720 ad cœleste regnum translata, virtutum planè heroicarum splendore universum orbem Christianũ illustravit &c.

10. *Quid de miraculis commemorandum restat?*

A. 1725 Parisiis Festo Theophoriæ in ipsa solemni supplicatione Anna de la Fosse post preces ardentissimas ad Christum sub speciebus Eucharisticis verè latentem cum fiducia fusas, à morbo insanabili confestim liberata est. Quod miraculum, examinatis ritè testibus plurimis, juridicaq; disquisitione accuratissimè instituta, tàm Parisiis, quam alibi iteratis typis vulgatum, non minori solatio fuit & gaudio Catholicis, quàm pudori & ignominiæ Acatholicis: uti & miraculum illud ubique jam terrarum celebratissimum, Romæ in Basilica Vaticana ad S. Petri statuam eodem anno 1725. editum, cujusmodi ab eodem Apostolo jam olim Hierosolymis ad *Speciosam* portā templi perpetratum novimus ex Actis Apostolorum cap. 3

His,

His aliisque miraculis plurimis hoc tempore patratis unum alterumque perpetuò durans adjicere juvat. Hujusmodi eſt illud Neapoli, ubi S. Joannis Baptiſtæ, & S. Januarii Martyris ſangvis concretus in ampulla vitrea adhuc ſervatur, qui admirandum in modum colliqueſcere & ebullire, perinde atque recèns effuſus, ad hæc uſque tempora cernitur; Joannis quidem, quando decollationis hiſtoria legitur; Januarii veró, cùm in ejuſdem capitis conſpectu cruor pro Chriſto fuſus ponitur. Pluribus quoque ſeculis Barij in Apulia Oſſa S. Nicolai copioſiſſimè exſudant mirificum prorſus ac ſalutiferum liquorem: uti & oſſa S. Walburgæ Virginis Euſtadii &c. Sed & lingva S. Joannis Nepomuceni poſt annos amplius trecentos incorrupta etiamnum & vivida pro Religionis Catholicæ veritate facundiſſimè hodiedum perorare non ceſſat.

Obſervationes

Denis cujusq; ſeculi paragraphis ſummatim reſpondentes.

§ I.

De continua Pontificum ſucceſſione.

1. *Num ſucceſſionis hic Ordo certus omnino eſt, & expeditus?*

Quod ad rem ipſam attinet, nulli dubium, imò

imò feculis omnibus cognitum & exploratum eſt, S. Petrum per Succeſſores ſuos in hanc uſque horam ſemper vivere, ſemperque victurum eſſe; quamvis de tempore, ordine & nomine Pontificũ quorundam diſcrepent Scriptores. Sic Petrus ex Baronii ſententia, imperante Claudio Romam venit A. Chr. 45. & A. 69. martyrium ſubiit Pontificatûs anno 24. Linus verò Martyr occubuit A. 80. Cletus, quem non pauci ante Clementem ponunt, A. 93. Clemens A. 102. Anacletus 112 Evariſtus 121. Alexander 132. Sixtus 142. Teleſphorus 154. Hyginus 158. Pius 167. Anicetus 175. Soter 179. Eleutherius 194. Victor 203. Zephyrinus 221. Calliſtus 226. Alii chronologiam Baronianã ſingulorum, quos modò recenſui 17. Pontificum binis; nos verò ex Papebrochii, Antonii Pagii & aliorum computatione pluribus etiam annis anticipamus.

2. *Ecquam ſucceſſionis hujus notitia affert utilitatem?*

S. Auguſtinus in Epiſtola ad Generoſum novem & triginta à S. Petro ad ſuam uſque ætatem recenſet Pontifices, indeq; Eccleſiam Catholicam nunquam defeciſſe, nec Pontificum ſucceſſionem interruptam fuiſſe demonſtrat. Pari ratione & nos oſtendimus, in hodiernam uſque diem Eccleſiam ſemper ſtetiſſe firmã atq; immobilem, cùm nullo unquam tempore capite viſibili, à quo Chriſti vice regebatur, fuerit deſtituta. Quid quòd Pontifices, continua ſerie ſibi ſuccedentes totidem ſint teſtes locupletiſſimi, qui doctrinam Catholi-

cam

eam inde ab Apostolorum temporibus ad nos usque per manus quasi transmittunt?

3. Nonne tot Antipapæ memoratam successionem interrupêre?

Haudquaquam; nam intrusos hujusmodi Pseudopapas Ecclesia nunquam recepit, agnovitq́;, sed eos duntaxat, qui Antipapis oppositi erant. Neq́; diuturnior electionis procrastinatio interrupit successionem; secùs enim electio ne unum quidem diem comperendinari posset.

4. A quibus eligitur Pontifex?

1. Primis Ecclesiæ nascentis temporibus eligebatur á Clero & populo Romano. Hic tamen non ferebat suffragium, sed vitæ duntaxat morumq́; testimonium. 2. A solo Clero, excluso populo, ad confusionem devitandam. 3. Subinde Imperatores quoque ad avertendos tumultus & schismata præcavenda suam interponebant auctoritatem, non quidem ut crearent ipsi, sed approbarent duntaxat Pontificem ritè electum. 4. Ab anno 1143. post Innocentii II. obitum soli Cardinales eligunt Pontificem, & quidem ex Alexandri III. præscripto ita, ut ille ritè ac secundùm canones electus censeatur, in quem duæ ex tribus (v.g. 40. ex 60.) Cardinalium præsentium partes consenserint.

5. Num intrusi quoque & improbi Pontifices veri erant Christi Vicarii?

Pontifices quantumvis intrusi, quos Ecclesia ad schisma evitandum recipit agnoscitque, hac ipsa

acce-

acceptatione & agnitione quæ est altera, veraque & absoluta electio, legitimi fiunt Christi Vicarii. Improbi porro Pontifices, quorum è tanto numero vix septem, octove reperias (cùm tamen in ipso duodecem Apostolorum Collegio repertus sit bipedum nequissimus) haud dubiè veri fuerunt Christi Vicarii. Quibus proinde non minùs, quàm sanctissimis quibusque Pontificibus, obtemperandum, est ex Christi præcepto Matth. 23. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, servate & facite: secundùm opera verò eorum nolite facere.*

§ II.

De vita & moribus Pontificum.

1. *Num verisimile est, quod heterodoxi quidam perhibent, ducentos ipsos annos Pontifices sceleratos præfuisse Ecclesiæ?*

Hæc quisquis effutire audet, vel in historia Ecclesiastica, omnino peregrinus est, vel non nisi mendacibus rumusculis, libellisq; famosis animum intendat necesse est. Atque esto, Seculo X. & XI. Pontifices quosdam, quinque fortassis ex tanto numero, eosq; ipsos tyrannicè, aut malis artibus intrusos, sacram Sedem infamâsse, an non eo ipso tempore, ferreo licèt, ac plumbeo, pleriq; omnes vitæ erant admodum probatæ? Imò ausim dicere, si scelera omnia, etiam per calumniam Pontificibus afficta, in unum congerantur cumulum, perexigua sanè minutaque videri posse, si cum enormibus

mibus innumerisque vel unius Lutheri hominis
perditissimi & profligatissimi flagitiis comparen-
tur. Quis enim unquam Pontificum in DEUM,
Deiq; Matrem sanctissimam, ac Cœlites blasphemo
ore debacchari ausus est, uti Lutherus? Quis cras-
sissimis mendaciis, manifestis antilogiis & contra-
dictionibus obscœnissimis sordibus atque illuvie
omnia sua scripta conspurcavit? Quis supra o-
mnes Sanctos Patres, supra mille Augustinos &
Cyprianos insolentiâ & arrogantiâ inauditâ se
extulit? Quis unquam Pontificum Principes, Du-
ces, Reges, Imperatorem ipsum, sacrum æquè ac
profanum magistratum atrocissimis conviciis, pro-
bris, contumeliis, maledictis procacissimè est in-
sectatus? Quis ipsa sacra Biblia, quis Symbolum
Apostolorum adulterare deprehensus est? Quis
Pontificum diaboli aut convictor fuit, aut disci-
pulus, uti se fuisse palàm etiam gloriabatur Lu-
therus? Quis unquam Pontificum eò malitiæ per-
venit, ut contra juratam DEO fidem & castimo-
niam perpetuo solemniq; voto promissam non
dubitârit virginem ejusdem voti religione DEO
pariter obstrictam incestis sibi nuptiis copulare, &
in sacrilego hoc nefandoq; concubinatu ad ex-
tremum usque halitum perseverare, aliosq; verbo
& exemplo ad eadem flagitia pellicere & adhor-
tari? Quis unquam potestatem fecit, fidem DEO
hominibusq; datam impunè violandi, Sacerdotia,
bonaq; Ecclesiæ, atque adeò Christi ipsius patri-
monium sacrilegè diripiendi ac profanandi, Rem-
publi-

publicam Christianam tot tantisque turbis, seditionibus, perduellionibus, bellis cruentis & internecinis, malisq; innumeris vexandi & affligendi, totque animarum millia in æternum secum exitium pertrahendi &c. uti hæc aliaq; plurima Lutherum fuisse ausum testis est orbis universus?

2. Cur Acatholici tantopere exaggerant paucorum quorundam Pontificum vitia; tot verò aliorum, imò plerorumque omnium virtutes laudesque eximias vel silent omnino vel nonnisi parcissimè attingunt?

Cùm Heterodoxorum & vita & doctrina vitæ & doctrinæ Christi, hujusq; Vicariorum è diametro sit contraria, si hos laudarent, se ipsi damnarent. At verò dum Pontifices plerosq; ambitiosos, feroces, arrogantes imperiosos, totiusque orbis dominatum affectantes contumeliosissimè traducunt, sacrilegam suam defectionem, perduellionem, contumaciam & infanda flagitia quadantenus obtegere se posse autumant.

3. Num Pontifices improbi detrimentum aliquot attulêre Ecclesiæ?

Turbare hi quidem Ecclesiam poterant, at neutiquam pervertere. Quin ex hoc ipso luculenter apparet, non hominum sagacitate, industria, virtute & probitate, sed DEI unius sapientiâ & providentiâ Ecclesiam perpetuò gubernari. Sicut ergo Petri navicula inter decumanas atrocissimarum persecutionum procellas perstabat illæsa prorsus & incolumis; ita imperito quantumvis ac

imbro-

mprobo navarcho ad clavum sedente, rectum ni-
ilominus certumq; semper tenebat cursum, nec
d ullos errorum aut hæresum scopulos unquam
llisa est, naufragii omnis æternùm secura. Hinc
iullus unquam Pontificum dogma ullum, priscæ
rthodoxæq; fidei contrarium, Ecclesiæ credendũ
ropoſuit: nec quisquam tempore illo, quo Pon-
ifices minùs probi regebant Ecclesiam, ab hac
dcirco defecit; cùm exploratum esset omnibus,
*bediendum esse Præpositis non tantùm bonis & mo-
'estis, sed etiam dyscolis* Quid igitur causæ est,
uòd hodierni novatores Christi Vicariis omni
aude honoreq; dignissimis non modò non ob-
emperent, verùm etiam, quod prioribus illis Se-
:ulis nemo est ausus, *summum DEI Sacerdotem*
Antichristum appellare, horrendisq; maledictis in-
ectari non cessent; cùm tamen ipse gentium Do-
tor religioni sibi duxerit, quòd impio illi Syna-
gogæ jam reprobatæ Pontifici etiam per ignoran-
iam malè sit precatus? Act. 23. v. 5.

4. *Num omnes has calumnias & convicia ex-
cogitarunt hæretici?*

Non pauca ex mendacissimi illius Bennonis,
quem Antipapa Guibertus Cardinalē dixit, pseu-
lohistoria & Sigeberti Gemblacensis chronico so-
ent exscribere. Ambo hi Henrici IV. contra Ro-
nanos Pontifices, quibus erant infensissimi, par-
es secuti, calumnias, & maledicta innumera in
'iros illos sanctissimos, rectiq; & æqui servantis-
imos conjiciebant. Hildebrandum certè, postea
Gre-

Gregorium VII. dictum, magnanimum illum, vereque sanctum Pontificem, quem Religionis orthodoxæ ac Sacerdotii hostes per immanem calumniam *inferni titionem* appellant, æquales illorũ temporum, Bennone & Sigeberto, unoque aut altero ejusdem farinæ excepto, maximis omnes laudibus efferunt. Ut q; Scriptores alios complures, sanctitate etiam & miraculis conspicuos, taceam, Lambertus Schafnaburgensis sanctum hunc Pontificem sic vindicat: *Apud omnes sanum aliquid sapientes luce clariùs constabat, falsa esse quæ dicebantur. Nam & Papa tam eximiè, tamque Apostolicè vitam instituebat, ut nec minimam sinistri rumoris maculam conversationis ejus sublimitas admitteret. Signa etiam, & prodigia, quæ per orationes Papæ frequentiùs fiebant, & zelus ejus ferventissimus pro DEO & Ecclesiasticis legibus satis eum contra venenatas detractorum linguas communiebant.* Idem porrò Lambertus refert, quo pacto S. Gregorius VII postquam Canusii Henricum IV. anathematis vinculo solvisset, sacris exinde operatus, sacrosanctæ hostiæ partem, ad innocentiam suam Cæsari, omnibusq; adstantibus probandam, gravissimas inter contestationes sumpserit, hortatusq; sit Imperatorem ad residuam SS. Hostiæ partem pari cum contestatione sumendam, qui tamen, utpote non unius sibi sceleris conscius, horrendi hujus examinis aleam subire neutiquam est ausus.

§ III.

§ III.
De Ecclesiæ statu.

1. *Quo pacto Ecclesia tot inter calamitates & persecutiones atrocissimas in hanc usque horam perdurare potuit?*

Id nonnisi solius DEI sapientia potentiaq; fieri potuisse palam est. Hinc cum reliquæ mundi Monarchiæ, utut potentissimæ, pridem ita conciderint, ut de iisdem vix nomen ampliùs supersit, solum tamen Christi regnum, quod est Ecclesia, stabile firmumq; adhuc perstat. Ad hoc oppugnandum satanas in aciem eduxit. 1. Judæos, internecinos Christi hostes. 2. Reges & Imperatores, quà ethnicos, quà hæreticos & schismaticos, quà pseudopoliticos. 3. Ipsos adeò Pontifices in sanctam Sedem violenter intrusos. 4. Tot hæreticorum, schismaticorum, Religionisq; desertorum succenturiatas copias, novis identidem armis è stygio armamentario depromptis instructas. 5. Tot degeneres, malèque morigeros Ecclesiæ filios, sive pseudocatholicos &c. Verùm omnibus his copiis, tanto armorum apparatu instructis, tot tantisque oppugnationibus, impressionibus, machinamentis stratagematis, cuniculis &c. prævalere haud potuêre, nec ullo unquam tempore prævalebunt *inferi portæ*, uti Christus ipse certos nos facit *Matth. 16. v. 18.*

2. *Num ulla unquam doctrinæ fidei mutatio in Ecclesia Catholica facta est?*

Ne minima quidem; uti ex universa Historia Ecclesiastica, Conciliorum decretis sanctorumque Patrum monumentis perspicuum ac manifestum est. Impudentissimè proin mentiuntur hederodoxi illi, qui contra totius antiquitatis fidem rudi plebeculæ persvadere nituntur, Confessionem auricularem, *Transsubstantiationem*, extremam Unctionem, Clericorum cœlibatum, quadraginta dierum jejunium, Indulgentias, Purgatorium, cultum, & invocationem Sanctorum, aliaque fidei Catholicæ dogmata vel á Pontificibus, vel Conciliis excogitata fuisse; cùm certum omnino & indubitatum sit, hæc omnia inde ab Ecclesiæ exordio in hunc usque diem credita semper fuisse & observata. Nihil igitur Ecclesia Catholica, quod ad fidei dogmata attinet, ex pristino splendore quidquam remisit; sed Solis instar tot jam seculis *manet immutabilis*: dum interim hæresis Lunæ in morem vel mensis unius spatio aliam identidem atque aliam induit formam. Id quod manifestè apparet ex novitiis Sectariorum pseudodogmatis, nominatim ex Confessione Augustana, quæ cùm patentibus mendaciis, calumniis, antilogiis &c. scateat, mirum non est, eam cudi toties ac recudi, poliri ac repoliri ac interpolari, & in aliam identidem formam transfundi debuisse.

3. *Num æquè imutabilis fuit morum disciplina?*

Hæc magnas haud dubiè vicissitudines subiit.

hic primorum quidem Christianorum vivendi ratio sancta ferme erat, & inculpata. At fervor hic procedente tempore haud parùm remisit; qui tamen cum à tot piis, sanctisque Pontificibus, tum ab aliis viris Apostolicis resuscitatus identidem fuit, & inflammatus. Unde semper in Ecclesia extitêre, atque hodiedum existunt non pauci, qui primorum Christianorum virtutem & sanctitatem strenuè æmulantur.

§ IV.

De Ecclesiæ incremento & propagatione.

1. *Quid de hac sentiendum?*

Homines mundo despectos pauperes & ignobiles idololatriam, quæ tam altas ubique radices egerat, potentissimis mundi Monarchis omni ope nisuque obluctantibus, eradicare, ac Religionem, sensibus & carni usque adeò repugnantem invehere potuisse, non humanæ industriæ, sed divinæ opus potentiæ fuerit necesse est, quæ per vias mundi prudentiæ ac sagacitati inaccessas prorsus & incognitas imò in speciem contrarias, ad propositam sibi metam certissimè novit pertingere.

2. *An æquè prodigiosa erat Lutheranæ aut Calvinianæ sectæ propagatio?*

Si hæc inter miracula numeranda est, longè profectò mirabilior fuit propagatio sectæ Arianæ & Machometanæ, utpote quæ multò plura amplioraque regna & provincias rapidissimi torrentis instar celerrimè inundavit. Et quale hoc tandē mira-

miraculum, feculo illo rudiſſimo & corruptiſſimo tot ventris & gulæ mancipia, Baccho & Veneri ex aſſe devota, præeunte, & claſſicum canente petulantium Sacerdotum ac Cœnobitarum grege, adhæſiſſe doctrinæ, carni ac ſenſibus tantopere blandienti, viam ſternenti ad omnem ſcelerum licentiam, cœlumque pollicenti vix non dormientibus. Quid quòd Lutheri & Calvini pſeudo Evangelium perinde atque hæreſis Ariana & Machometis Alcoranus, non niſi turbis, ſeditionibus perduellionibus, proditionibus, mendaciis, fraudibus calumniis, violenta piorum oppreſſione, ſacri æquè ac profani magiſtratus contemptu & oppugnatione, bellis, cædibus, rapinis, incendiis templorum, monaſteriorum, Epiſcopatuum ſpoliatione & profanatione, jurisque divini & humani conculcatione &c. fuerit propagatum? Quòd ſi Lutherus, Calvinus, aliique novatores propoſuiſſent doctrinam, ſenſibus inimicam, carni ac depravatæ naturæ omnino contrariam, ſi ad bonorum operum ſtudium, continentiam, obedientiam, jejunia, corporis afflictationes, voluptatum, honorum, divitiarum, rerumque terrenarum contemptum verbo & exemplo viam præiviſſent, totasque nihilominus nationes à vitiis inveteratis ad excellentem vitæ ſanctitatē traduxiſſent, tunc enim verò miraculum omnes clamare poſſemus, & exclamare: *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris* !

3. Nullus

3. *Nullusne fuit, qui sectæ Lutheranæ sese opponeret?*

Opposuit se imprimis Carolus V. Imperator Religiosissimus, aliique Principes Catholici, qui vehementer urgebant tum Lutheri proscriptionē, publico Comitiorum Wormatiensium decreto pridem sancitam, tum bonorum Ecclesiasticorum restitutionem. Sed obstitêre *Protestantes*, qui postquam Franciscum Galliarum, & Henricum Anglorum Regem, ipsumque adeò Solimannum Turcarum tyrannum adversùs Imperatorem Carolum incassum solicitârunt, collecto exinde centum ferè millium exercitu bello eundem derepentè lacessiverunt, primo haud dubiè impetu oppressuri, nisi pro Carolo excubâsset exercituum Dominus. Hujus proin nutu & auspiciis dissipatus est formidabilis ille exercitus, præcipuique factionis duces, Saxoniæ Elector & Hassiæ Landgravius, ad Mühlbergam capti, Septemviratu in Mauritium ex Albertina ortum prosapia translato. Hic ipse tamen, inito postea cum Henrico II. Galliæ Rege fœdere, Imperatorem, de se optimè meritum, imparatum prorsus, nihilque hujusmodi de fidelissimo, ut credebat, amico & cliente suspicantem, ex improviso aggreditur, ægerrimeque fugâ elapsum ad interiora usque Tyrolis persequitur. Quid jam in arena consilii caperet Cæsar cum Ferdinando fratre? Gallus tres nobilissimos Episcopatus cum pluribus Lotharingiæ & Belgii urbibus eripuerat: Turcæ ipsi in Christianæ Reipubl. per-

 niciem

niciem evocati, classe ingenti appulerant in Italiam: Albertus Brandeburgicus implacabili Catholicæ Religionis exscindendæ cupiditate flagrans, ope Gallorum flammâ ferroque omnia devastavit. Igitur intestinorum æquè & externorum hostium violentiâ, extremaque necessitate adactus Ferdinandus Romanorum Rex deplorandam Catholicis, totique Ecclesiæ *transactionem*, ut vocant, Passaviensem profusis lacrymis subsignare cogitur. At necdum malorum finis; nam & hoc sequenti seculo *Protestantes* in bello præcipuè tricennali, Gallico ære & milite adjuti, irreparabilem Ecclesiæ orthodoxæque Religioni cladem intulêre, uti in Opusculo III. meminimus.

4. *Num Ecclesia Catholica inde ab exortu suo aucta semper, an potiùs imminuta est?*

Auctam semper fuisse, inde patet, quòd, sicubi Ecclesia exoriente hæresi, velut amne rapace ac violente deperdere quid videatur, mox alibi sua damna alluvionibus, novæque terræ accessione cum fœnore etiam compenset. Unde quod ad Septentrionem extremumque Europæ angulum Clero, Religiosisque familiis atque Ecclesiæ Catholicæ subtraxerat hæresis, DEUS abundè resarciebat ad Meridiem, Orientem & Occidentem, tot centenis animarum millibus ad Ecclesiam Christique ovile adductis.

§. V.

§ V.
De Hæresibus.

1. *Quis dicendus hæreticus?*

Qui Christianum quidem se profitetur, dogma tamen quoddam Religioni Catholicæ contrarium contumaciter tenet. Ac licèt omnis hæresis schisma quoque sit; non tamen vicissim schisma est hæresis. Sic non omnes, qui Antipapis quondam contra legitimos Pontifices adhæserant, hæretici idcirco erant, nisi, quod plerumque fieri amat, erroneum insuper dogma obstinate tenuerint, seque proinde à toto Ecclesiæ corpore segregârint.

2. *An ergo hæreticus est, qui vel in unico fidei articulo ab Ecclesia Catholica dissentit?*

Omnino; toto proin cœlo aberrant temporis hujus pseudopolitici, quos & Libertinos, Adiophoristas, Syncretistas & Amphidoxos vocant, qui ad salutem consequendam nil aliud opus esse ajunt, nisi ut honestè quis vivat, simulq; potissimos de SS. Trinitate & Christo articulos, Symbolo Apostolorum comprehensos credat. Errorem hunc pestilentissimum, divinis literis, SS. Patribus, totique antiquitati & sanæ rationi contrarium Theologi Polemici invictis pridem argumentis confutârunt. Et certè quemadmodum nonnisi *unus* est *DEUS*, ita non nisi *una* pariter *fides* esse potest. *Idcirco ubi plures sunt fides, jam incipit nulla esse fides*, uti jam olim S. Hilarius ad Constantium Augustum scripsit. Verbo; *Quicunque vult salvus esse*,

esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem, quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit. Et quanta hæc temeritas dicam, an vecordia, viam incertam prorsus intutamq; præferre certæ, omniumque judicio securæ, Religioni nempe Catholicæ, quam non solùm Catholici omnes, sed ipsimet Acatholici rectà ad cœlum nos ducere haud diffitentur, quæque tot insuper, ac tam manifestis signis notisque unicè vera esse evidenter demonstratur, dum è diverso sectas contrarias, nullo hujusmodi signo conspicuas, Catholici uno omnes ore condemnant, neminemq; extra Ecclesiam Catholicam salutem consequi posse persvasissimum habent? Hoc argumento convictus Henricus IV. Galliæ Rex, abjurata Calvini hæresi, cum Ecclesia Catholica se conjunxit. Quin Beza ipse, quantumvis Calvinianus, Catholicis ad se invisentibus, deque vera salutis via solicitis, auctor fuit, ut in Religione Catholica permenerent; sic enim de salute sua minimè periclitaturos, & Melanchthon matri suæ grandævæ seriò percontanti, utra Religio, Catholicane, an Lutherana vera esset, planè apertèque fassus est, *hanc novam gratissimam; illam antiquam securissimam esse & certissimam.* Atque hæc ipsa, credo, causa est, quòd imminente jam morte, nemo unquam ab Ecclesia Romana desciverit, cùm tamen ad hanc transierint heterodoxorum non pauci, iter æternitatis jamjam ingressuri, quos inter Joannes Saxoniæ Elector, aliique complures.

3. *Un-*

3. *Undenam tot hæreses & schismata sunt exorta?*

Non aliunde, inquit S. Cyprianus, *quàm quòd Sacerdoti DEI non obtemperatur, nec unus in Ecclesia Sacerdos, aut Judex vice Christi cogitatur. Unde enim schismata & hæreses obortæ sunt & oriuntur, nisi dum Episcopus, qui unus est, & Ecclesiæ præest, superba quorundam præsumptione contemnitur, & homo dignatione DEI honoratus ab indignis hominibus judicatur? Quis enim hic est superbiæ tumor, quæ arrogantia animi, quæ mentis inflatio, ad cognitionem suam Præpositos & Sacerdotes vocare?* Ita S. Cyprianus.

4. *Qui, qualesque omnibus temporibus erant hæresum schismatumque authores?*

Hos gentium Doctor 2 Tim. 3. sic describit: *Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi & voluptatum amatores magis quàm DEI: habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Talis erat Lutherus, talis Zwinglius, talis Calvinus, aliique hæresiarchæ, & eorum sectatores.

5. *Quo pacto hæreses pleræque disseminatæ fuêre?*

1. Specioso ut plurimùm obtentu reformandæ Ecclesiæ, cujus tamen doctrina dogmatica, utpote eadem semper & immutabilis, nulla unquam emenda-

mendatione & correctione indiguit. Morum verò disciplina ab egregiis scilicet his reformatoribus adeò reformata non est, ut horrendis potiùs corruptelis deformata fuerit ac depravata. Et verò quis ad restituendam morum disciplinam à DEO missos esse credat homines ob infanda flagitia publice infames, DEO & Ecclesiæ rebelles, ferro & rogo dignos, quorum immanem arrogantiam, fastum, insolentiam, pervicaciam, ambitionem, rabiem plus quàm diabolicam, petulantiam, impudentiam, obscœnitatem, impudicitiam, perduellionem, impietatem, maledicentiam, blasphemias, enormia mendacia, calumnias atrocissimas vel soli libri ab iisdem conscripti orbi universo ob oculos ponunt?

2. Hæresiarchæ plerique literas divinas suis obtendunt erroribus; cùm tamen ne unicum quidem dogma, Ecclesiæ Catholicæ contrarium, ipsismet sacræ Scripturæ verbis, sed suis duntaxat interpretationibus fallacissimis ac perversissimis possint astruere. Et tamen sacrilegi isti bibliomastiges rudi & imperitæ plebeculæ sua pseudoglossemata pro puro puto Evangelio ac verbo DEI venditant, majorque mendacissimis his sycophantis adhibetur fides, quàm tot Conciliis Oecumenicis tot SS. Patribus, Spiritu DEI cœlestique sapientia plenis, imò Ecclesiæ universæ, omnis veritatis Magistræ.

3. Novatores plerique, ut glaucoma objiciant populo, speciosum sibi nomen imponunt. Sic qui-

quidam ex antiquis hæreticis *Gnosticorum* sive *Intelligentium*, alii *Apostolicorum*, alii *Catharorum*, alii *Angelicorum* nomen sibi arrogabant. Pari ratione hodierni Sectarii partim *Reformati*, partim *Evangelici* dici volunt; cùm tamen doctrinā teneant Evangelio prorsus contrariam, nec alio nomine dici possint *Evangelici*, quàm Scipiones illi Romani, qui cognominati sunt *Africani*, quia vastârunt Africam.

6. Quodnam discrimen Catholicam inter & Acatholicam doctrinam?

1. Doctrina Catholica clara, aperta & simplex; acatholica verò obscura, captiosa, ambigua, fucata & inanibus verborum phaleris variisq; diabolicæ nequitiæ tegumentis involuta est. 2. Doctrina Catholica pacem parit & concordiam; acatholica lites, discordias, dissensiones, tumultus, factiones, rerumque omnium conversionem. & perturbationem &c. 3. Catholica ad sanctum sui odiū, submissionis, obedientiæ, sui despicientiæ, & Evangelicæ perfectionis studium impellit; acatholica verò prorsus contrarium docet. 4. Doctrina Catholica, utpote à Spiritu sancto profecta, in primo sui exortu perfecta mox erat & consummata, ita ut ne minima quidem immutatione, correctione, aut instauratione unquam indiguerit; contrà acatholica, utpote non à DEO, sed à patre mendaciorum diabolo inventa, mutari identidem & interpolari, recudi, repoliri, & reconcinnari debuit, uti manifestè constat vel ex sola Confessione

ſione Auguſtana, quæ cum in Comitiis Auguſtanis A. 1530. Caroli V. Imperatoris, omniumque Imperii Ordinum conſpectum primò ſubiiſſet, nonnisi habitu commutato & ab ipſa adeò Eccleſia Romano-Catholica mutuato comparere, & in faciem ſummi illius Monarchæ, omniumque Imperii Procerum protervè impudenterque mentiri auſa eſt, *ſe in NULLO fidei articulo diſſentire ab Eccleſia Catholica ſive Romana; tùm tota diſſenſio ſit de paucis quibusdam abuſibus.* Nam ſi ita eſt, quo igitur jure tot tamque funeſtas tragœdias excitârunt *Confeſſioniſtæ*? Quo jure tot tantisque turbis, diſſidiis, factionibus, ſeditionibus, bellis civilibus, ſacrorum profanatione & populatione non ſolùm inclytam Germaniam, ſed Eccleſiam DEI univerſam infeſtâruut, lacerâruntque, irreparabili tot millium animarum exitio? Num ergo propter *paucos quosdam abuſus* licet ſeceſſionem facere ab Eccleſia univerſali, fidem DEO, hominibusq; datam impunè violare, in Chriſti Vicarium, in ſupremum ovium omnium Paſtorem & Hierarcham non modò auſu ſacrilego inſurgere, verùm etiam velut Antichriſtum ipſum odio plus quàm Vatiniano perſequi, religionem avitam à majoribus tanta pietate, fide & conſtantia ſemper cultam proſcribere penitus, & errores cùm novos, tum Eccleſiæ totius judicio pridē damnatos ſub ementita Evangelicæ veritatis larva introducere; in bona Eccleſiæ, Chriſtiq; patrimonium per vim ac ſummam injuriam involare, Catholicos antiquiſ-
ſima

ſima tot ſeculorum poſſeſſione exturbare, Turcas aliosque Eccleſiæ & Imperii hoſtes in patriæ excidium evocare, arma cum iis ac fœdera contra Imperatorem legitimum ſuum Dominum & Catholicos Imperii Ordines jungere, hosque ad pacta DEO, Eccleſiæ, & Religioni contraria ſubſignanda vi armorum adigere, jura demum pleraq; omnia ſacra & profana convellere &c. & hæc aliaque innumera *tantùm propter paucos quosdam abuſus.*

§ VI.
De Conciliis.

1. *Quem in finem cogi ſolent Concilia Oecumenica*

Ad quæſtiones de Religione controverſas cognoſcendas, dirimendasque, refellendos ac damnandos hæreticorum errores, morumque diſciplinam reſtituendam.

2. *Penes quem poteſtas eſt indicendi & convocandi Concilia Oecumenica?*

Penes ſolum Papam, tanquam Eccleſiæ caput, Chriſtique in terris Vicarium, qui Conciliis hujuſmodi vel ipſe per ſeſe, vel per Legatos præſideat neceſſe eſt; ſecùs enim Concilium foret acephalum, nulliusque auctoritatis uti ex perpetua Eccleſiæ praxi uſuque manifeſtum eſt.

3. *Cur Concilium generale legitimè congregatum in decidendis Fidei dogmatis certæ omnino & indubitatæ auctoritatis eſt?*

Quia univerſam DEI Eccleſiam repræſentat. Si

proin-

proinde hujusmodi Concilium errare posset, universa erraret Ecclesia; quod tamen disertis Christi verbis & promissionibus manifestè repugnat, dum *portæ inferi* adversùs Ecclesiam nunquam prævalituras pollicitus est: prævalerent autem, si in definiendis Fidei dogmatis errare posset Ecclesia; neque hæc *columna* ampliùs foret, ac *firmamentum veritatis*, uti ab Apostolo 1. Tim. 3. v. 15. appellatur.

4. Cur Protestantes identidem ad Concilium appellârunt?

Eventus docuit, id non alio eos animo fecisse, quàm ut sectam suam novis interea coitionibus & factionibus magis stabilirent: ac præcipuè ne bona Ecclesiæ Christi ablata restituere juberentur. Pergebant hi interim sacra & profana rapinis violare, modisque indignissimis vexare Catholicos. Qui, cùm injustè ablata repeterent, atq; injuriam postularent heterodoxos, hi religionis scilicet libertatem obtendere, atque ad futurum Concilium, quod palàm quidem flagitabant, occultis verò consiliis penitùs detrectabant, Catholicos ablegare solebant. Coactum igitur tandem aliquando post perrupta difficillima obstacula Concilium Oecumenicum.

5. Num Protestantes quoque comparuêre?

Invitati hi iterum ac sæpiùs fuêre, factâ liberrimâ disputandi, & ultrò citroq; commeandi copiâ; sed incassum omnia. Nam perinde atque olim Ariani Concilium Nicænum I. & alii alii

Conci-

Concilia legitimè coacta fuisse negabant; ita & Protestantes sexcanta quærebant effugia & diverticula: quin eò arrogantiæ & insolentiæ sunt progressi, ut se & Christi Vicarii & totius Concilii Oecumenici Judices constituere, uniusque flagitiosissimi ac mendacissimi apostatæ somnia vanissima certissimo & indubitato prorsus Ecclesiæ totius judicio præferre non dubitârint.

6. *Nonne heterodoxi omnes solius Scripturæ judicio stare se velle profitentur?*

Vetus hæc ac veteratoria fraus est omnium hæreticorum, qui ipsius adeò S. Scripturæ pallio errores suos fœdissimos obtegere nituntur, magistri sui diaboli exemplo. Quemadmodum enim hic Christum ipsum; ita illi Christi sectatores circumvenire tentant, identidem vociferando: *Scriptum est enim*; imò hanc unicam Fidei suæ regulam statuendo: *Nihil credendum, nisi in sacris expressum Bibliis.* Sed vos jam appello, quotquot estis, Acatholici! Imò ad Scripturam, solum & unicum vestrum Judicem ipsos provoco. Edicite! Quo libro, quo capite, quo versu scriptum est: *Nihil credendum, nisi in sacris expressum Bibliis?* Ibi lego 2. Thess. 2. v. 14. *Tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram* Item Matth. 18. v. 17. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus,* &c. Hæc, pluraque hujusmodi lego in Scriptura: at verò fundamenti illius, cui totam pseudo-Evangelii vestri fabricam superstruitis, ne vestigium quidem in universis

Bibli-

Bibliis usquam invenio. Quæro insuper ex vobis, ubinam scriptum sit 1. hanc, quam appellatis Scripturam esse divinam? 2. ritè fuisse versam. 3. esse penitùs incorruptam. 4. & præcipuè hunc esse verum ejusdem Scripturæ sensum, quem Lutherus aliquis, aut Zwinglius, aut Calvinus inde eruit; falsum verò illum quem Ecclesia DEI universa, in Concilio Oecumenico legitimè congregata, quem summi Pontifices, Christi Vicarii, quē sacti Patres & Ecclesiæ Doctores uno omnes orē astruunt? Adhæc scire pervelim, ubinam *scriptum sit*, Pascha die Dominica, & hanc ipsam Sabbati loco esse celebrandam? vesci item licere *suffocatū & sanguine?* baptizatos ab hæreticis non esse denuò baptizandos &c? Quæ aliaq; complura cùm S. Scriptura nusquam denniat palam est, ab hac sententiam decretoriam ferri non posse, sed vel ab Ecclesia universâ in Concilio Oecumenico congregata, vel ab illius capite, pro quo Christus ipse rogavit Luc. 22. v. 32. *ut non deficiat fides* ejus summo nempe Pontifice, legitimo Petri successore. Quòd si solius Scripturæ judicio standum cur Lutherani, Zwingliani, Calvini, Anabaptistæ aliique hæretici in tot diversissimas abeunt sententias, tametsi eodem omnes Bibliorum nitantur testimonio?

§ VII.

§ VII.
De ritibus Ecclesiasticis.

1. Cur tot ritibus ac ceremoniis utitur Ecclesia?

1. Externi hi ritus signa sunt, testimonia & exercitia cultùs interioris, quem Deus imprimis exigit. 2. His velut adminiculis ac Religionis incitamentis pietas, fervor & attentio populi Christiani mirum quantum firmatur excitaturque. 3. His fovetur & augetur dignitas majestasq; divinorum mysteriorum; inde enim quotquot rei intersunt divinæ, admonentur, nihil hîc profanum, sed arcana quædam, & divinis plena mysteriis geri quæ singularem exigant reverentiem. 4. His tandem conservatur disciplina Ecclesiastica & publica tranquillitas, fitque, ut omnia honestè, ac decenti quodam ordine, prout Apostolus jubet 1. Cor. 14. v. 40. peragantur.

2. An non memoratæ ceremoniæ speciem quandam superstitionis præ se ferunt?

Æquè parùm atque priscæ legis ceremoniæ longè plurimæ ac diversissimæ, quas Deus ipse populo Israëlitico observandas præscripsit, & Moyses retulit in librum Leviticum, Hæbreorum rituale.

3. Num & sectarii sacros quosdam ritus etiam nunc observant?

Cùm hi careant sacerdotio, & sacrificio, ac Sacramentis, excepto Baptismo, quem hominum quilibet rationis particeps, cujuscunq; religionis, conditionis ac sexûs administrare potest, mirum

non

non est, ritus quoque sacros ab iisdem dudum fuisse antiquatos: atut *Protestantes* ducentis abhinc annis in Confessione Augustana A. 1530. Carolo V. oblata, coram Imperatore omnibusq; Imperii Ordinibus solemniter sint contestati: *Falsò accusantur Ecclesiæ nostræ, quòd Missam aboleant; retinetur enim Missa apud nos & summa reverentia celebratur. Servantur & usitatæ ceremoniæ ferè omnes &c.* Id quod in ejusdem Confessionis Apologia iteratò profitentur his verbis: *Fiunt enim apud nos Missæ singulis Dominicis, & aliis Festis - - & servantur usitatæ ceremoniæ publicæ, ordo lectionum, orationum, vestitus, & alia similia.* Item in libro Concordiæ: *Ceremoniæ similes usitatis servantur; tantùm numerus Missarum est dissimilis.* Quam sanctè autem ac verè isthæc asseverentur, noverint illi, qui heterodoxis immisti degunt. Et tamen memoratos modò libros, tam crassis apertisq; mendaciis refertos, pro fidei symbolis habēt Protestantes.

§ VIII.
De Religiosis Familiis.

1. *Quem in finem hæ institutæ fuerunt?*

Ut Christiani illi, qui ad majorem vitæ sanctimoniam aspirant, Evangelicam paupertatem, castitatem, & obedientiam amplectendo, se totos Dei possent obsequio addicere, rerum caducarum cura omni abjecta. Quæ vivendi ratio sicut Christum ipsum auctorem habet ac ducem, indeq; ab

Eccle-

Ecclesia sumpsit exordium; ita ob sublimem suum scopum, & efficacissima salutis perfectionisq; Christianæ subsidia commendanda summopere & æstimanda est.

2. Cur tot, tamque diversa sunt Ordinum Religiosorum statuta?

Cùm diversæ sint hominum vires, studia, propensiones, ingenia, corporis animiq; dotes, Deus sacrorum Ordinum conditoribus diversas pariter ostendit vias, quibus eò expeditiùs certiusque ad finem ultimum perveniri possit. Hæc ipsa porrò varietas Ordinum singulari ornamento juxtà & emolumento est Ecclesiæ militanti, perinde atque in acie legiones, armis, vestibus, apparatu, modôque & arte pugnandi magnopere inter sese distinctæ.

3. Cur Lutherus, Calvinus, aliique hæretici tanto feruntur odio in familias Religiosas?

1. Quia hæ subsidiariæ quasi cohortes sunt, quas Deus singulis propè seculis coduxit, ut laboranti Ecclesiæ adversùs hæreticorum potissimùm oppugnationes suppetias irent. 2. Cùm hæretici omnes etiam illi ipsi, qui *Evangelici* appellari volunt, capitales & internecini sint hostes *Evangelicæ* castitatis, paupertatis, & obedientiæ, inediæ item & afflictionum corporis &c. nemo, credo, mirabitur, quòd & institutum ipsum, & qui eidem se devovent, tantopere aversentur. Adde, hæresiarchas non paucos à Religiosis castris ad Luciferi ejusq; fœderatorum vexilla transfugisse.

§ IX.
De Sanctis.

1. *Suntne in Ecclesia Catholica sancti quidam?*

Id ne Lutherani quidem inficias eunt; nam in Apologia Confessionis Augustanæ & majore Catechismo Lutheri Bernardum, Franciscum, Bonaventuram vitam piam sanctamque duxisse ultrò fatentur: atqui hi ipsi & Catholici erant, & Religiosæ familiæ alumni.

2. *Num & Sectariorum aliqui inter Sanctos numerari possunt?*

Minimè omnium; nam quo pacto sancti esse possunt, qui 1. non solùm Evangelica, ut diximus, flocci pendunt consilia, sed ne divinas quidem leges observant; imò observari posse negant? 2. Qui opera bona, Pœnitentiæ Sacramentum, aliaq; perfectionis & sanctitatis adminicula è medio tollunt. 3. Qui Deum faciunt peccati auctorem. 4. Qui hominis mentem libera spoliant voluntate? 5. Qui Deum ipsum in suo spernunt Vicario? 6. Qui Ecclesiam non audiunt, ac proinde ex Christi effato sunt *sicut Ethnici & Publicani*? 7. Quorum duces & magistri non modò non fuerunt sancti, sed apostatæ perditissimi, ac profligatissimi, nullio prorsus fidei ac Religionis? 8 Quorum sectatores abjurato Papatu, ipsomet Luthero, & Calvino teste, non tantùm *non facti sunt meliores, sed longè etiam deteriores*, utpote *multò liberiùs ac licentiùs in omnem scelerum libidinem effussi, nec ab uno*

dunta-

duntaxat, uti priùs in Papatu, sed à septem jam diabolis, fatente Luthero, *obsessi*. Si hæc in ipso adeò *magnæ* illius, ut vocant, *reformationis* exordio, ubi major plerumque existit fervor; quid de annis demum pósterioribus sentiendum?

3. *An non inter Acatholicos quoque sunt, qui vitam ducant longé honestiorem, quàm multi Catholicorum?*

Fuêre olim inter ethnicos quoque, qui in speciem vitam ducebant longè honestiorem, quàm multi Sectariorum: num idcirco sancti erant? Quòd plurimi Catholicorum sint improbi, in causa est perversa illorum voluntas, non doctrina Catholica, cui si vitam ac mores conformarent, sancti profectò essent omnes. At cùm Sectariorũ doctrina sit evidenter falsa, blasphema, impia, Evangelio contraria, viám sternens ad omnem scelerum licentiam; præcipuaque sanctitatis adminicula è medio tollens, qui hujusmodi tenent doctrinam; sancti esse non possunt. Unde ne unicum quidem Sanctum inter suos numerant.

4. *At numerant Martyres?*

Siqui sectariorum tormenta mortemque ipsam pertulêre, æquè parùm sunt Martyres, ac cives perduelles, milites transfugæ, aut patriæ proditores &c. qui idcircò morte mulctantur. *Non enim pæna, sed causa Martyrem facit*, S. Augustino teste.

5. *Quodnam Catholicos inter & Acatholicos Doctores discrimen?*

Id ex eorundem scriptis luculenter apparet.

Libris certè vel à solo Luthero, ut alios taceam; editis, vix quidquam arrogantius, petulantius, scurrilius, obscœnius, impudentius, perversius, in DEUM ac cœlites, sacrum item profanumque magistratum contumeliosius &c. usquam legeris. Contraria omnia invenies in SS. Augustini, Ambrosii, Gregorii, cæterorumq; Patrum & Ecclesiæ Doctorum libris ac monumentis.

§ X.
De Miraculis.

1. *Semperne Ecclesia miraculis inclaruit?*

Hæc nemo prudens in dubium vocaverit, ob tot tamque indubitata seculorum omnium monumenta, virorumq; sanctitate & doctrina præstantium testimonia. Et sicut imprudentis est, nimiumq; creduli, fidem illico habere narrationi cuivis, ab ipsis interdum heterodoxis, ut sic authentica quoque miracula in suspicionem adducant, confictæ; ità miraculis ab Ecclesia tanta, qua major excogitari non potest, circumspectione & accuratione examinatis probatisque fidem velle abrogare summa profectò imprudentia foret, atque temeritas. Sanctum certè Xaverium multa magnaq; patrâsse miracula, vel ipsi heterodoxi scriptores ultrò fatentur.

2. *Num apud sectarios quoq; fiunt miracula?*

Nullum in hanc usque horam ostentare; ac ne verisimiliter quidem confingere & comminisci potuere; quamvis id sæpiùs tentârint, at sinistro sem-

ſemper eventu, ſummoque ſuo dedecore & ignominia. Sic Lutherus Cacodæmonem ex puella obſeſſa ejecturus, in ſummas adductus eſt anguſtias; & Calvinus ſimulatè mortuum reſuſcitaturus, revera mortuum deprehendit.

Juvat hactenus dicta concludere his S. Auguſtini verbis: *Multa ſunt alia, quæ in Eccleſiæ Catholicæ gremio me juſtiſſime teneant. Tenet conſenſio populorum atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata; tenet ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem ſuam Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum, tenet poſtremò ipſum Catholicæ nomen, &c.* Nihil ſimile ſectæ habent aliæ, quod quemque jure poſſit allicere ac tenere.

Id demum obſervari velim, Acatholicos conqueri minimè poſſe de acerbiore forſan Scriptorum Catholicorum ſtylo. Nam ut taceam enormem prorſus maledicentiam, qua Lutherus, Calvinus, aliique hæreſiarchæ in ſacrum æquè ac profanum magiſtratum atrociſſimè debacchati ſunt, hodiedum ſectarii non ceſſant immanibus paſſim conviciis & maledictis contumelioſiſſimè proſcindere Eccleſiam Catholicam, Romanosq; Pontifices, ut ſic deſpectos omnibus & inviſos reddant. At verò ſi Catholicorum quiſpiam eorum fraudes, mendacia, calumnias, hæreſim, ſectæq; falſitatem evidentibus demonſtrat argumentis, mox tanquam pacis violatorem in crimen & jus vocant ii ipſi,

 qui

qui Catholicos velut *abominandos idololatras, artolatras, asseclas Antichristi, meretricis Babyloniæ spurios abortus &c.* passim traducunt, & quotquot abjurata hæresi, ad Religionem Catholicam, â qua ipsorum progenitores fraudulenter fuêre abducti, Deo duce & auspice revertuntur hos *apostatas*, hos religionis desertores & transfugas appellare audent.

Faxit Deus, ut omnes ac singuli, ii imprimis, qui non tam suâ malitiâ, quàm infelici nascendi cōditione extra Ecclesiã Catholicã, ac proinde extra Christi ovile degunt, oculos tandẽ aliquando aperiant,& ad Religionẽ avitam, quam nostri æquè & illorum majores tot seculis constantiâ verè Germanâ coluère, regrediantur, fraternamq; illã conjunctionẽ & concordiam, annis abhinc ducentis horrendo illo schismate fœdè scissam & dilaceratã postliminio reducant! Quàm exoptata Ecclesiæ universæ, quàm patriæ totiq; Romano Imperio salutifera, quàm utilis & quæstuosa quotidiano foret cōmercio hæc priscæ illius concordiæ redintegratio! Cessaret tunc protinus omnis simultas, diffidentia, discordia, rixæ, jurgia, animorum exulceratio, & alienatio, totque ac tam diurnis calamitatibus succederet perpetua verèq; Christiana pax, amor & concordia, sincera, qualis inter fratres necessitudo & familiaritas, svavis animorum consociatio, jucundaque voluntatum conspiratio.

Omnia ad Majorem DEI Gloriam,
Uniusque, Sanctæ, Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ incrementum.

Ta-

Tabula Chronologica

Summorum Pontificum &c.

* *Antipapas denotat.*

Seculum primum.

Series Pontificum.	ſedit uſq;ad	Concilia Antipapæ, hæreſes &c.
S, Petrus	65	Concil. Hieroſol. præſidente S. Petro.
S. Linus	67	Simon magus in prætendenda
S. Clemens	77	Eccleſiæ reformatione,
S. Cletus	83	repudiando libero
S. Anacletus	95	hominis arbitrio, bonis
S. Evariſtus.	108	operibus, Sacerdotū cælibatu &c. magiſter hodiernorum hæreticorum Menandriani, Cerinthiani, Ebionitæ, Nicolaitæ &c.

Seculum Secundum.

S. Alexander	116	Saturnin9, Baſilides, Carpocrates,
S. Sixtus	126	Gnoſtici, Valentinus,
S. Teleſphorus	137	Chiliaſtæ, Cerdo, Marcion, Montanus
S. Hyginus	141	Phryx, unde Cataphryges,
S. Pius	151	Encratitæ Tatiani

Series Pontificum.	sedit usq;ad	Concilia Antipapæ, hæreses &c.
S. Anicetus	161	sectatores. Prodicus A-
S. Soter	170	damitarum parens, A-
S. Eleutherius	185	quila Ebionita, & Theo-
S. Victor	197	dotion Marcionita, in-
S. Zephyrinus	217	fidus uterque Bibliorum
		interpres, Lucianus ex
		Xsti desertore atheǫ &c.

Seculum Tertium.

S. Callistus	222	*Novatianus primus An-
S. Urbanus	220	tipapa contra S. Corne-
S. Pontianus	235	lium. Tertullianistæ, O-
S. Anterus	236	rigenistæ, Novatiani, qui
S. Fabianus	250	& Cathari sive Puri, Re-
S. Cornelius	252	baptizantes, Angelici A-
S. Lucius	253	postolici, Sabelliani, Pau-
S. Stephanus	257	lianistæ Pauli Samosa-
S. Sixtus	238	teni sectatores, Mani-
S. Dionysius	269	chæi, quorum auctor
S. Felix	274	Manes, qui se Spiritum
S. Eutychianǫ	283	Sanctum Paracletum à
S. Cajus	296	Christo promissum pro-
S. Marcellinus	304	fessus, hæreses, Cerdoni-
		anorum, Marcionitarũ,
		Carpocratianorũ, Gno-
		sticorum, aliorumque
		præcedentium, instau-
		rabat &c.

Seculum Quartum.

Series Pontificum.	sedit usq; ad	Concilia, Antipapæ, hæreses &c.
S. Marcellus	310	Concil. gen. I Nicæn. 325.
S. Eusebius	310	Concil. gen. II. Constanti-nop 381.
S. Melchiades	314	*S. Felix II adversus Li-
S. Silvester	335	berium ab Arianis pri-
S. Marcus	336	mùm intrusus, dein ab
S. Julius	352	Ecclesia receptus. *Ul-
S. Liberius	366	ricinus adversus Dama-
S. Damasus	384	sum.
S. Siricius	398	Donatistæ, Meletiani, A-
S. Anastasius	401	riani & Semiariani, Colluthiani, Circumcellio-

nes, Anthropomorphitæ, Photiniani, Macedoniani, Eustachiani, Eunomiani sive Aétiani, Aériani, Luciferiani, Apollinaristæ, Priscillianistæ, Helvidiani, Joviniastæ, *Discalceati*, Collyridiani &c.

Seculum Quintum.

S. Innocentius	417	Concil. gen. III. Ephes. 431.
S. Zosimus	418	Concil. gen. IV. Chalce-donense 451.
S. Bonifacius	422	*Eulalius adversus Boni-
S. Cælestinus	432	facium.
S. Sixtus III.	440	*Laurentius advers. Sym-
S. Leo M.	461	machum.
S. Hilarius	468	Vigilantius, Pelagiani a

Kelio-

Series Pontificum.	ſedit uſq; ad	Concilia, Antipapæ, hæreſes &c.
S. Simplicius	483	Neſtoriani, Semipelagiani ſive Maſſilienſes, Eutyches & Dioſcorus, Pacificatores ſive Tepidi, Petrus Cnapheus ſive Fullo Theopaſchitarum dux, Philoxenus Prædeſtinatiani, Angelitæ &c.
S. Felix III.	492	
S. Gelaſius	496	
S. Anaſtaſius II	498	
S. Symmachus	514	
Seculum Sextum.		
S. Hormisdas	523	Concil. gen. V. Conſtantinopolit. 2. A. 553.
S. Joannes	526	* Dioſcorus adverſus Bonifacium II.
S. Felix IV.	530	
S. Bonifacius II	532	* Vigilius in ſedem Romanam intruſus vivente Silverio, dein legitimus Pontifex, fideique Catholicæ vindex egregius.
S. Joannes II.	535	
S. Agapetus	536	
S. Silverius	538	
S. Vigilius	555	
S. Pelagius	560	Severiani, Corrupticolæ, Phantaſiaſtæ, Acephali, Agnoëtæ, Aphthartodocetæ, Tritheitæ, Theopaſchitæ &c. Fercardus I. Scororum Rex ob hæreſim in carcere detruſus.
S. Joannes III.	573	
S. Benedictus	578	
S. Pelagius II.	590	
S. Gregorius M.	604	

Secn-

Seculum Septimum.

Series Pontificum.	sedit usq; ad	Concilia, Antipapæ, hæreses &c.
Sabianus	606	Concil. gen. VI. Constantinop. 3. A. 680.
S. Bonifaci9 III.	607	* Theodorus & Paschalis contra Sergium.
S. Bonifáci9 IV	615	Gnosimachi, Monotheletæ, quorum duces Sergius Patr. Const. Cyrus
S. Deusdedit	618	Patr. Alexandr. Macarius Patr. Antiochenus;
S. Bonifacius V	625	propugnatores Pyrrhus Paulus, Petr9, Thomas,
S. Honorius	638	Tleophilus, omnes Patriarchæ Constant. cum
S. Severinus	640	Imperatore Heraclio.
S. Joannes IV.	642	Machometes ortus patre ethnico, matre Judæa,
S. Theodorus	649	idemq; Christianis imbutus sacris, ex Arianismo, Judaismo, ethnicismo &c, monstrosissimam, adjutore Sergio pseudomonacho, conflavit sectam, homo in-
S. Martinus	655	
S. Eugenius	657	
S. Vitalianus	672	
Adeodatus	676	
Donus	678	
S. Agathio	682	
S. Leo II.	683	
S. Benedict. II.	685	
Joannes V.	686	
Conon	687	
S. Sergius.	701	

ops, ignobilis, illiteratus, barbarus, truculentus, epilepticus, rapto & latrociniis vivere assvetus &c. Maron, unde Maronitæ, post annos demum quingentos Ecclesiæ reconciliati.

Se-

Seculum Octavum.

Series Pontificum.	ſedit uſq; ad	Concilia, Antipapæ. hæreſes &c.
Joannes VI.	705	Concil. gen. VII. Nicæn. 2. A. 787. * Conſtantinus contra Stephanum IV. Iconoclaſtæ, & Iconomachi ſive ſacrarum Imaginum everſores & oppugnatores, quorũ primi erant Judæi, dein Machometani, poſtea Leo Iſauricus Imperator & Hæreſiarcha, utpote qui impulſore Hebræo ſacrilegum atrociſſimumque ſacris Imaginibus bellum intulit, hæreſeos idcirco damnatus cum filio Copronymo, & nepote Leone IV. à Concil. gener. VII. Felix Urgelitanus, & Elipandus &c.
Joannes VII.	707	
Siſinius	708	
Conſtantinus	715	
S. Gregorius II.	731	
S. Gregorius III.	741	
S. Zacharias	752	
Stephanus II.	752	
Stephanus III.	757	
S. Paulus	767	
Stephanus IV.	772	
Hadrianus	795	
S. Leo III.	816	

Seculum Nonum.

Series Pontificum.	ſedit uſq;ad	Concilia, Antipapæ, hæreſes &c.
Stephanus V.	817	Concilium gener. VIII Conſt. 4. A. 869.
S. Paſchalis	824	* Zinzinus adverſus Eugenium II.
Eugenius II.	827	* Anaſtaſius adverſus Benedictum III.
Valentinus	827	* Sergius contra Formoſū
Gregorius IV.	844	* Bonifacius VI contra Stephanum VIII
Sergius II.	847	Goteſcalcus hæreſim Prædeſtinatianorum; Nicephorus; Leo Armenus, Michaël Balbus; Theophilus, Orientis Imperatores, hæreſim Iconoclaſtarū inſtaurârunt, infelici omnes morte ſublati. Photius humanioris literaturæ tam gnarus, quàm ignarus divinæ, poſtquam in ſedem Conſtantinop, pulſo per ſummum nefas S. Ignatio, intruſus eſt, ſchi-
S. Leo IV.	855	
Benedictus III.	858	
S. Nicolaus	867	
Hadrian. II.	872	
Joannes VIII.	882	
Marinus I.	884	
Hadrianus III.	885	
Stephanus IV.	891	
Formoſus	896	
Stephanus VII	897	
Romanus	898	

ſma

Series Pontificum.	sedit usq;ad	Concilia, Antipapæ, hæreses &c.
Theodorus	898	sma teterrimum con-
Joannes IX.	900	tra Ecclesiam Roma-

nam excitavit, damnatus à Concil. gen. VIII. & à Basilio Imperatore missus in exilium, decemq; pòst annis revocatus, mortuo S. Ignatio in sedem Constantinop. restitutus, annuente quoque, pacis ergo, Joanne VIII. Sed cùm literas Pontificias adulterâsset, legatos Apostolicos veteratoriis suis artibus in fraudem illexisset, ac pseudosynodum, quam Oecumenicam VIII. nuncupavit, coëgisset, rursus ab eodem Pontifice condemnatus est, mortuoq; Basilio Imperatore *Sapiente* de sede, quam tyrannicè tenuerat, deturbatus, & in monasterium detrusus est.

Seculum Decimum.

Benedictus IV.	903	* Leo VIII. ab Othone I. Imperatore in sedem Romanam intruditur, vivente etiam tum Joanne XII. à quo pauld pòst inde expellitur, Mortuo Joanne eligitur Benedictus V. refragante Cæsare, qui Benedicto Hamburgum relegato, Leonem Antipapam restituit, Deo
Leo V.	903	
Christophorus	904	
Sergius III.	911	
Anastas. III.	913	
Lando	914	
Joannes X.	928	
Leo VI.	929	
Stephan. VIII.	931	
Joannes XI.	936	

Series Pontificum.	sedit usq; ad
Leo VII.	938
Stephan. IX.	942
Marinus II.	946
Agapetus II.	956
Joannes XII.	964
Benedictus V.	965
Joannes XIII.	972
Benedictus VI.	974
Donus II.	975
Benedict. VII.	984
Joannes XIV.	985
Joannes XV.	996
Gregorius V.	999
Silvester II.	1003

Concilia, Antipapæ, hæreses &c.

mox injuriam, Vicario suo illatam ulciscente. Ne porrò acta Leonis VIII. Pseudopapæ nomine edita cum veri Pontificis actis confunderentur, qui idem exinde nomen assumpsit, Leo IX. appellari debuit; id quod alios quoq; Pontifices factitâsse cõstat.

* Bonifacius contra Benedictum VII. * Joannes XVI. contra Gregorium V.

Hoc item seculo turbulentissimo quorundam Italiæ Principum præpotenti factione & tyrannide quatuor aut quinque Pontifices in sedem Pontificiam fuêre intrusi: quos tamen Ecclesia acerbiorum malorum metu recipiendos censuit.

Secu-

Seculum Undecimum.

Series Pontificum.	sedit usq;ad	Concilia, Antipapæ, hæreses &c.
Joannes XVII.	1003	* Silvester III. contra Benedictum IX
Joãnes XVIII.	1009	
Sergius IV.	1012	* Mincius, qui Benedictum X. se dixit, contra Nicolaum II.
Benedict. VIII.	1024	
Joannes XIX.	1033	* Cadolous, Honorius II dictus, contra Alexandrum II.
Benedict. IX.	1044	
Gregorius VI.	1046	
Clemens II.	1047	* Guibertus, Clementis III, nomen usurpans, contra S. Gregorium VII.
Damasus II.	1048	
S. Leo IX.	1054	
Victor II.	1057	Berengarius primus post mille & amplius annos Christi verum Corpus in sacrosanctis offerri mysteriis inficiari ausus, hæresim invexit, ab universa semper Ecclesia damnatam. Sed re-
Stephan. X.	1058	
Nicolaus II.	1061	
Alexander II.	1073	
S. Gregor. VII.	1085	
Victor III.	1087	
Urbanus II.	1099	

sipuit tandem id dolens summopere, quòd tot animas quondam adolescens primo erroris calore in execrandam induxerit hæresim.

Michaël Cerularius Patr. Const. azymorũ usum Latinis exprobrans, Græcum schisma, nuper extinctum, resuscitat &c.

Seculum Duodecimum.

Series Pontificum.	sedit usq;ad	Concilia, Antipapæ, hæreses &c.
Paschalis II.	1118	Concil. gen. IX. Lateran. 1. A. 1122. Concil. gen. X. Lateran. 2. A 1139. Concil gen. XI. Latera. 3. A. 1179. * Mauritius Burdinus, Gregorii VII. nomen sibi arrogans, contra Gelasium II *Petrus Leonis, dictus Anacletus II. *Victor IV contra Innocentium II. *Victor V & *Paschalis III. & *Callistus III. contra Alexandrum III. Basilius Bogomilorum coryphæ9 igne damnatus,
Gelasius II.	1119	
Callistus II.	1124	
Honorius II.	1130	
Innocentius II	1143	
Cælestinus II.	1144	
Lucius II.	1145	
Eugenius III.	1153	
Anastasius IV.	1154	
Hadrianus IV.	1159	
Alexander III.	1181	
Lucius III.	1185	
Urbanus III.	1187	
Gregorius VIII.	1187	
Clemens III.	1191	
Cælestinus III.	1198	

Tanchelinus à S. Norberto debellatus, Petrus de Bruis, Petrus Abaiardus, Arnaldus Brixiensis, Gilbertus Porretanus, Waldenses seu Pauperes de Lugduno, quorum reliquiæ in vallibus Alpium Cottiarum, Albigenses &c.

Seculum Decimum Tertium.

Series Pontificum.	sedit usq; ad	Concilia, Antipapæ, hæreses &c.
Innocent. III.	1216	Concil. gener. XII. La-
Honorius III.	1227	teran: 4. A. 1215.
Gregorius IX.	1241	Concil. gen. XIII. Lugdu-
Cælestinus IV.	1214	1. A. 1245
Innocent. IV.	1254	Conc. gen. XIV. Lugdu-
Alexander IV.	1261	2. A. 1274.
Urbánus IV.	1264	Almaricus Carnotensi-
Clemens IV.	1268	David Dinantius, Gv-
Gregorius X.	1276	lielmus de S. Amore &
Innocent. V.	1276	Desiderius Longobar-
Hadrianus V:	1276	dus, Religiosæ uterque
Joannes XXI.	1277	paupertatis hostis, St-
Nicolaus III.	1280	dinghi, Circumcellio-
Martinus IV.	1285	nes ab antiquis illis
Honorius IV.	1287	Donatistarũ secta lon-
Nicolaus IV.	1292	gè diversi, flagellantes,
S. Cælestin. V.	1296	Fraticelli, qui & Fratres
Bonifacio VIII	1303	Spirituales seu de pa-
		pere vita, ac Bisoci
		sunt appellati, He-
		mannus Pongilup9 in-

famis sectæ novorum Gnosticorum parens, Gerardus Segarelli Pseudoapostolorum sectæ fœdis dogmatibus, & libidinibus inquinatæ conditor &c.

Seculum Decimum Quartum.

Series Pontificum.	sedit usq, ad	Concilia, Antipapæ, hæreses &c.
Benedict. XI.	1303	Concil. gen. XV. Viennense A 1311. ubi extincti Templarii.
Clemens V.	1314	
Joannes XXII.	1334	* Petrus Corbarius, Nicolaus V. dictus, contra Joannem XXII.
Benedict. XII.	1342	
Clemens VI.	1352	
Innocent. VI.	1362	*Robertus Gebennensis, Clementis VII. assumpto nomine, cōtra Urbanum VI
B. Urbanus V.	1370	
Gregorius XI.	1378	
Urbanus VI.	1389	*Petrus de Luna Benedicti XIII. nomen sibi ar-
Bonifacius IX.	1404	

rogans, contra Bonifacium IX. ejusque successores, ad mortem usq;, anno Antipapatûs sui trigesimo obitâ, prætensæ suæ dignitatis retinentissimus.

Beguardi & Beguinæ, Dulcino, à quo Dulcinistæ, Turlupini, Joannes Wicleffus &c.

Seculum Decimum Quintum.

Innocent. VII	1406	Concil. gen. XVI. Florentinum A. 1439.
Gregor. XII.	1409	Gregorius XII. exauctoratus in Concil. Pisano 1409. Joannes XIII. verò in Concil. Constantiensi 1415.
Alexander V.	1410	
Joan. XXIII.	1415	
Martinus V.	1431	
Eugenius IV.	1447	

Series Pontificum.	sedit usq; ad	Concilia, Antipapæ, hæreses &c.
Nicolaus V.	1453	
Callistus III.	1458	
Pius II.	1464	
Paulus II.	1471	
Sixtus IV.	1484	
Innocent. VIII	1492	
Alexander VI.	1503	

*Mortuo Petro de Luna duo reliqui ejus Cardinales Antipapam elegêre Ægidium, Canonicum Barcinonensem, Clementem VIII. dictum, qui post annum sui Antipapatûs quintum Martino V. se subjecit, sicque demum schisma 52. annorum extinctum est. *Amadeus Felicis V. nomine assumpto, electus à Concil. Basileensi contra Eugenium IV. & Nicolaum V. cui se ultrò submisit A. 1449. ex quo tempore nullus porrò Antipapa Christi Vicario se opposuit.

Joannes Hus, à quo Hussitæ, qui & Calixtini in tres factiones Thaboritarum, Orebitarum, & Orphanorum distincti, Picardus novorum Adamitarum parens, Hermannus Rissvich, qui licèt doceret animam mori cum corpore, maluit tamen vivus comburi, quàm hæresim suam abjurare.

Seculum Decimum Sextum.

Pius III.	1503	Concil. gen. XVII. Lateran. 5. An. 1511.
Julius II.	1513	
Leo X.	1521	Concil. gen. XVIII. Tridentinum A. 1545.
Hadrianus VI.	1523	

Luthe-

Series Pontificum.	sedit usq;ad
Clemens VII.	1534
Paulus III.	1549
Julius III.	1555
Marcellus II.	1555
Paulus IV.	1559
Pius IV.	1565
S. Pius V.	1572
Gregor. XIII.	1585
Sixtus V.	1590
Urbanus VII.	1590
Gregor, XIV.	1591
Innocent. IX.	1591
Clemens VIII.	1605

Concilia, Antipapæ, hæreses &c.

Lutherus, Zwinglius, Calvinus, Carolstadius, Oecolampadius, Bucerus, Melanchthon, Brentius, à quo Ubiquitarii, Servetus, Sociniani, Osiandriani, Stancariani, Musculani, Farellistæ, Anabaptistæ in Münzerianos, Mennonitas, Adamitas, Davidianos, Schwenkfeldianos, Denkianos, Sabbatarios, Clancularios seu Fratres Hortenses, Manifestarios, Tacentes, Ejulantes, Effrontes, Separatos, Enthusiastas, sive Ecstaticos, Libertinos, Hamaxarios, Borboritas &c. divisi. Sacramētarii quorū alii significativi, alii Tropistæ, alii Energici, alii Arrhabonarii &c. Confessionistæ in Rigidos, Molles, Recalcitrantes, rursumq; in Antinomos, Majoristas, Adiaphoristas, Sinergystas, Flaccianos, Bissacramentales, Trissacramentales, Quadrisacramentales, Anticalvinianos, Lutherocalvinianos, Semiosiandrianos &c. dissecti. In Anglia Protestantes Puritani, & Presbyteriani, Antipuritani, Uncti, Independentes &c. In Transylvania novi Samosateni, Ebionitæ, Ariani &c.

Secu-

Seculum Decimum Septimum.

Series Pontificum.	ſedit uſq; ad	Concilia, Antipapæ, hæreſes &c.
Leo XI.	1605	
Paulus V.	1621	
Gregor. XV.	1623	
Urbanus VIII	1644	
Innocent. X.	1655	
Alexāder VII.	1667	
Clemens IX.	1669	
Clemens X	1676	
Innocent XI	1689	
Alexand. VIII.	1691	
Innocent. XII.	1700	

Metaphoriſtæ, Pſeudoirenici, Worſtiani, Sibandrini, Hadrianiſtæ, Cornartiſtæ, Bruniſtæ, Brochtuniſtæ. &c. In Anglia Quackerii ſive Trementes, Fanatici, novi Deiſtæ & Sabelliani &c. In Hollandia Gommariſtæ ſeu Demonſtrantes & Arminiani ſeu Remonſtrantes &c. Janſeniſtæ, quorum avus Michaël Bajus, parens Janſenius Iprenſis, fratres Calviniani &c. Michaël Molinos, Quietiſtarum coryphæus, Pietiſtæ in Viſioniſtas, Recnatos Contemplativos, Inſpiratos, Chiliaſtas Calumniantes &c divisi. Cantores Iſraëlis in Scotia, in Helvetia, ſecta ex Quietiſmo, Anabaptiſmo & Chiliaſmo conflata &c.

Seculum Decimum Octavum.

Series Pontificum.	ſedit uſq;ad.	Concilia, Antipapæ, hæreſes &c.
Clemens XI.	1721	Queſnelius Janſenianæ factionis per Galliam, Bataviam &c. hoc maximè tempore graſſantis dux, Beccarellus errorum ac ſcelerum Michaëlis Molinoſii inſtaurator Venetiis in carcere mortuus.
Innocent, XIII	1724	
Benedict. XIII	1730	
Clemens XII.	1739	
Benedict. XIV *Vivat feliciter.*		
Clemens XIII		
Clemens XIV.		
Pius VI.		
Pius VII.		

COROL-

COROLLARIUM.

Vaticinium de Pontificibus Romanis, quod nomine S. Malachiæ Ep. circumfertur.

Ex Castro Tiberis. Cælestinus II. Oriundus Typherno, Castello Umbriæ in Italia.

Inimicus expulsus. Lucius II. Familiâ Caccianimicâ.

Ex Magnitudine montis. Eugenius III. Ex Oppido Montis Magni.

Abbas Suburbanus. Anastasius IV. Ex Abbate Sancti Ruffi, Familiâ Saburrâ

De Rure Albo. Adrianus IV. Rurali Familiâ ex Oppido S. Albani.

Ex tetro carcere Victor IV. Cardinalis S. Nicolai, in carcere Tulliano. A. D. 1159. Antip.

Via Trans Tiberim. Calistus III. Cardinalis S. M. trans Tyberim. A. 1164. Antipapa.

De Pannonia Tusciæ. Paschalis III. Ungarus Cardinalis Tusculanus. A. 1170. Antipapa.

Ex ansere custode. Alexander III. Familia Paparona

Lux in Ostio. Lucius III. Cardinalis Ostiensis.

Sus in Cribro. Urbanus III. Cribellus, cujus insignia Sus.

Ensis Laurentii. Gregor. VIII. Cujus Insignia Enses, Cardinalis S. Laurentii.

De

De Schola exiet. Clemens III. Domo Scholari.
De rure Bovensi. Cælestinus III. Familiâ Bovensi.
Comes signatus, Innocentius III. Comes Signiæ.
Canonicus de latere. Honorius III. Canonicus Laterani.
Avis Ostiensis Gregorius IX. Insignia Aquila, Cardinalis Ostiensis.
Leo Sabinus. Cælestinus IV. Cujus Insignia Leo, Cardinalis Sabinus.
Comes Laurentius Innocentius IV. Comes Fliscus, Cardinalis S. Laurentii.
Signum Ostiense Alexander IV. Comes Signiæ, Cardinalis Ostiensis.
Hierusalem Campaniæ. Urbanus IV. Campanus, Patriarcha Hierosolymitanus.
Draco depressus. Clemens IV. Cujus Insignia Aquila, Draconem ungvibus premens.
Angvinis Vir. Gregorius X. Vice-Comes, Insignia Angvis.
Concionator Gallus. Innocentius V. Gallus Ordinis Prædicatorum.
Bonus Comes. Adrianus V. Otobonus, Comes Fliscus.
Piscator Tuscus. Joannes XXI. Petrus Cardinalis Tusculanus.
Rosa composita. Nicolaus III. Dictus compositus, Familiâ Ursinâ, cujus Insignia, Rosa.
Ex telonio liliacei Martini. Martinus IV. Cujus Insignia Lilia, Thesaurarius S. Martini Turonensis.
Ex Rosa Leonina. Honorius IV. Sabellus, cujus Insignia Rosa, a Leonibus gestata.

Picus

Picus inter escas. Nicolaus IV. Picenus Patriâ Esculanus.

Ex eremo celsus Cælestinus V. Ex Eremita Pontifex.

Ex undarum benedictione, Bonifacius VIII. Benedictus Cajetanus, cujus Insignia, Undæ.

Concionator Patereus. Benedictus XI. Nicolaus ex Ordine Prædicatorum.

De fossis Aquinaticis. Clemens V. Aquitanus, cujus Insignia, Fossa.

De sutore Osseo. Joannes XXII. Familiâ Osâ, sutoris Filius.

Corvus Schismaticus. Nicolaus V. Corbarius Antipapa. A. 1328.

Frigidus Abbas Benedictus XII. Abbas fontis frigidi.

De Rosa Atrebatensi. Clemens VI. Atrebatensis, ejus Insigne Rosæ.

De Montibus Pammachii. Innocent: VI. Cardinalis, tituli Pammachii, cujus Insignia, sex montes.

Gallus Vice-Comes. Urbanus V. Gallus, ad Vice-Comites Mediolanenses Nuntius &c.

Novus de Virgine forti. Gregorius XI. Dictus Petrus, Comes Bellefortis, Cardinalis, tituli Sanctæ Mariæ novæ.

De Cruce Apostolica. Clemens VII. De luna, Cardinalis SS. XII. Apostolorum, cujus Insignia, Crux. A. 1378. Antip.

Luna Cosmedina. Benedictus XIII. Petrus de Luna, Aragonius; Diaconus Cardinalis B. M. V. in Comedin, cujus Insigne, Luna. Antip.

chisma Barchinonium. Clemens VIII. Antipapa, Canonicus Barchinonensis.

De Inferno prægnanti. Urbanus VI. Pregnanus, natus in loco, qui infernus dicitur.

Cubus de mixtione. Bonifacius IX. Thomacellus, cujus Insignia, Gubi.

De meliore sidere. Innocentius VII. Dictus Cosmatus de Melioratis, cujus Insignia, Sidus.

Nauta de ponte nigro. Gregorius XII. Venetus Præses Ecclesiæ Nigropontanæ.

Flagellum Solis. Alexander V. Archiepiscopus Mediolani, S. Ambrosiii; illius Insignia, Sol, ut in nummis antiquis videre est cum flagello.

Cervus Sirevæ. Joannes XXIII. Cardinalis S. Eustachii, cum Cervo Bononiæ Legatus, Neapolitanus.

Corona veli aurei. Martinus V. Columna, cujus Insignia, Columna cum Corona: Cardinalis S. Georgii ad Velum aureum.

Lupa Cælestina Eugenius IV. Canonicus Cælestinus, Episcopus Sevensis.

Amator Crucis. Felix V. Dux Sabaudiæ, Amadeus, cujus Insignia, Crux.

De modicitate Lunæ. Nicolaus V. Lunensis, humili genere.

Bos pascens. Calistus III. Insignia, Bos pascens.

De Capra, & Albergo. Pius II. Secretarius Cardinalium, Capranici & Albergati.

De Cervo & Leone. Paulus II. Præses Ecclesiæ Ceruensis, Cardinali S. Marci, qui Leo dicitur.

Piscator

Piſcator Minoritæ. Sixtus IV. Piſcatoris Filius Minorita.

Præcurſor Siciliæ Innocentius VIII. Joannes Baptiſta; Aulicus Regis Siciliæ.

Bos Albanus in portu. Alexander VI. Cujus Inſigni Bos, Cardinalis Albanus, & Portuenſis.

De parvo homine. Pius III. Piccolhomineus.

Fructus Jovis juvabit. Julius II. Inſignia, Quercus Arbor Jovis.

De Craticula Politiana. Leo X. Laurentii Medices Filius, Politiani Diſcipulus.

Leo Florentinus. Adrianus VI. Florentii Flius, Inſignia, Leo.

Flos pilei ægri. Clemens VII. Medices Florentinus, cujus Inſignia, boli & lilia.

Hyacinthus Medicorum. Paulus III. Farneſius, Inſigne, Lilia cærulea Cardinal: SS. Coſmæ & Damiani Medicorum.

De Corona Montana. Julius III. Antea dictus: Joannes Maria de monte.

Frumentum Floccidum. Marcellus II. Cujus Inſignia frumentum floccidum; brevi Pontificatu.

De fide Petri, Paulus IV. Antea Petrus Carafa.

Æſculapii pharmacum. Pius IV. Joannes Angelus Medices.

Angelus nemoroſus. Pius V. Ordinis Prædicatorũ, Michàél ex Oppido Boſchi.

Medium corpus pilarum Gregorius XIII. Cujus Inſigne medius Draco, geſtans Cardin: pilas, Pii IV. à quo creatus eſt Cardinalis. *Axis*

xis in medietate signi. Sixtus V. Qui axem in medio Leonis, pro insigni habet.

e rore Cælesti. Urbanus VII. Archiepiscopus Rossanensis in Calabria, ubi manna legitur.

x Antiquitate Urbis. Gregorius XIV. Utroq; Parente, antiquissimæ Familiæ: ipse Antiquitatum Urbis restaurator.

ia Civitas in bello. Innocentius IX. Nemo hucusque explicavit.

rux Romulea. Clemens VIII. Cujus Insigne, trabs argentea; tribus segmentis interstincta, ad modum Crucis, Pontificis Romani.

Undosus Vir. Leo XI. Paralysi obnoxius.

Gens perversa. Paulus V. Cujus tempore gens perversa Bohemorum hæretica labe, infecta contra Religionem Catholicam, & Ecclesiæ columnam, Domum Austriacam, insurgens, totam Rempublicam Christianam turbavit.

In tribulatione pacis. Gregorius XV. Sub quo Imperium maximè turbatum, nunquam hucusq; respiravit.

Lilium & Rosa. Urbanus VIII. Florentinus, cui Urbi lilium, pro insigni, ipsæ Rosis amicissimæ apiculæ, vel alluditur ad Urbanum IV, cujus insignia, Lilium & Rosa.

Jucunditas Crucis. Innocentius X. Cujus Insignia, Columba, svavem pacis olivam gestans. Electus in Fecto S. Crucis.

Montium Custos. Alexander VII. Cujus Insignia, Montes, quibus Sidus Cœleste, velut oculus

& Cuſtos ſupereminet. An quòd electus in Feſto SS. Angelorum Cuſtodum.

Sidus Oloris. Clemens IX. Antea dictus, *Roſpilioſus*, inde mutata litera p. in d fecit quidam Anagramma: *Sidus Oloris;* vel quia dicitur natus, eſſe illo anno, quo nova Stella, ſeu Sidus apparuit in Cœleſti Signo.

De Flumine magno. Clemens X. Quia natus exundante tunc, nimium Tyberi.

Bellua inſatiabilis. Innocentius XI. Quia pro Stēmate habuit Leones, & Aquilas, rapacia animalia; vel quia inſatiabile deſiderium habuit, triumphandi de hoſtibus, Nominis Chriſtiani. Vel quia, (ut quidam ingenioſè, ſed non ſolidè cenſuit) utebatur ad majora conſilia, Cardinali Cibo; ejusq; conſilia ſequi ſolitus; hinc quidam ſcripſit: Bellua Pontificis cur inſatiabilis audit? Nimirùm aſſiduè, veſcitur illa Cibô.

Pænitentia glorioſa. Alexander VIII. Antea fuit ſummus Pœnitentiarius, & Innocentio XI agonizanti, contulit abſolutionem Sacramentalem.

Raſtrum in Porta.	Innocentius XII.
Flores circumdati.	Clemens XI.
De Bona Religione.	Innocentius XIII.
Miles in bello.	Benedictus XIII.
Columna excelſa.	Clemens XII.
Animal rurale.	Benedictus XIV.

Sequuntur Prophetica, ejusdem, (ut fertur) Sancti Malachiæ, secuturorum Pontificum Symbola.

1. Rosa Umbriæ.
2. Ursus velox.
3. Peregrinus Apostolicus.
4. Aquila rapax.
5. Canis & Coluber.
6. Vir Religiosus.
7. De balneis Etruriæ.
8. Crux de Cruce.
9. Lumen in Cœlo.
10. Ignis ardens.
11. Religio depopulata.
12. Fides intrepida.
13. Pastor Angelicus.
14. Pastor & nauta.
15. Flos florum.
16. De medietate Lunæ.
17. De labore Solis.
18. Gloria Olivæ.

In persecutione extrema Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sedebit Petrus II. Romanus, qui pascet Oves in multis tribulationibus, quibus transactis Civitas Septicollis diruetur, & Judex tremendus judicabit populum suum.

Hucusque Prophetia (ut dicitur) S. Malachiæ de Romanis Pontificibus.

Plura vide in Censura Prophetiarum R.P. Georgii Gengell S.J.

...equuntur Prophetiæ, quibus (ut [illegible]
...tur) S. M. Malachias, secutura [illegible]
Pontificum Symbola.

Rosa Umbriæ.	10. Ignis ardens.		
[illegible]	11. Religio depopulata.		
[illegible] Apostolicus.	12. Fides intrepida.		
Aquila rapax.	13. Pastor Angelicus.		
Canis & Coluber.	14. Pastor & Nauta.		
Vir Religiosus.	15. Flos florum.		
De balneis Etruriæ.	16. De medietate Lunæ.		
Crux de Cruce.	17. De labore Solis.		
Lumen in Cœlo.	18. Gloria Olivæ.		

In persecutione extrema Sanctæ Roma-
næ Ecclesiæ, sedebit Petrus II. Romanus,
qui pascet Oves in multis tribulationibus,
quibus transactis Civitas Septicollis di-
ruetur, & Judex tremendus judicabit
populum suum.

*Hucusque Prophetia (ut dicitur) S. Mala-
chiæ de Romanis Pontificibus.*

Plura vide in Censura Prophetiarum R. P.
Georgii Gengell S. J.